Cum totum ſuum ſit quod a Deo accipimus, noſtrum eſſe dicit, ut demus. Salvian. lib. 2. ad Eccleſ. Cathol.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum poſſit hauriri.

Eleemoſynæ, & miſericordiæ definitio.

ELeemoſyna actus eſt Miſericordię, & Charitatis, quo miſeratione ducti, propter amorem Dei aliquid ex bonis propriis tribuimus pauperi, illius miſeriam ſolaturi. Sanctus Auguſtinus nobis miſericordiæ ideam cupiens adſtruere, ita illam definit: *Animi dolentis affectus cum additamento beneficii.* Affectus eſt animi, qui alienis commotus ærumnis condolet, & ſeria eſt propenſio, qua ad miſerorum calamitates ſublevandas rapimur. Itaque virtus hæc duas habet actiones ſibi proprias, interiorem alteram, quæ cor ipſum tangit, alteram exteriorem, quæ animat manum; altera miſerationem ciet, altera ſubſidium promovet; itaut miſeratio quidem proximum ſit eleemoſynę principium, eleemoſyna vero miſerationis fructus, vel neceſſarius effectus; quamobrem in communi ſermone utraque confunditur ſimul, & eodem vocabulo indiſcriminatim utraque indigitatur; quamvis ex S. Gregorii ſententia, miſeratio, quæ eleemoſynam comitatur, majus donum ſit ipſa eleemoſyna.

Pauperum miſereri, eiſque opitulari debemus.

Duo pauperibus debemus, quorum meminit Scriptura, miſerationem videlicet, & eleemoſynam; miſerationem quidem, & ſi ipſi pauperes ſimus; tibi opem ferre non valeo, ex corde laturus, ſi vires eſſent; miſerationem vero ſimul & eleemoſynam, ſi divites; me tuæ miſeret paupertatis, & quia mihi Deus contulit bona, eorum partem tibi defero. Hæc eſt S. Hieronymi ſententia; Opibus cares? viribus cor tuum ſupplebit, & coram Deo tantum dederis, quantum dare voluiſſes. At non deſunt tibi divitiæ; adde operam voluntati.

Eleemoſyna de præcepto eſt, non tantum de conſilio.

Matth. 25.

Eleemoſynæ præceptum eſt; eaque veritas eſt Religionis noſtræ jugi, conſtantique conſenſu probata. Hoc ſatis palam mundi Salvator edocuit, ubi jure infernis ignibus ſe adjudicaturum profitetur eos, qui pauperibus eſcam, potumque negaverint: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum .... eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.* Etenim quemadmodum S. Gregorius Nazianzenus animadvertit, non reprobat homines Deus eo quod ſimplex conſilium violaverint, ſed quod alicujus præcepti tranſgreſſione legem perfregerint: alioquin tyrannidem exerceret in homines eos condemnans, eo quod minime fecerint, quod ſibi imperatum non fuit.

Cuinam rei eleemoſynæ præceptum innitatur.

Duo ſupponenda ſunt legum genera a Deo inſtituta; aliæ quippe inæqualitatis ſunt leges, aliæ ęqualitatis. Quod ad priores pertinet, divinæ intererat Providentiæ, hominum conditiones eſſe inæquales: ſi enim nullum inter ipſos adfuiſſet diſcrimen, nulla fuiſſet dependentia, nulla ſubordinatio, nullus ordo; omnes fuiſſent Domini, omnes Principes, &, quod in civili ſocietate æque ac in naturali corpore monſtroſum eſt, omnes eſſent capita. Divinæ igitur intererat Providentiæ, inter homines, & auctoritatem eſſe, & obedientiam; dominos, & ſervos, capita, & membra; Principes, & ſubditos; ideoque pauperes etiam, & divites. Verum enimvero in hac inæquali diſpoſitione, quæ aliis quidem eſt adeo ſuavis, aliis vero aſpera, erat juſtitiæ Parentis mortalium omnium, ut filiorum ſuorum aliquot ad dignitatum apicem evehens, eiſque ingentia conferens bona, ſuppeditaret aliis, unde in humilitate, ac egeſtate ſua ſubſiſtere poſſent; quod ſane præſtitit divitibus imperans, ut egenis eleemoſynam tribuant. Hac autem ſecunda lege filios omnes ad quamdam æqualitatis ſpeciem redegit, ut, quemadmodum S. Paulus ait, alterius affluentia alterius paupertati ſuppleret.

Præceptum hoc ſupernaturali etiam innititur Providentiæ.

Cum divites, paupereſque viciſſim alii pro aliis facti ſint in ordine naturali, qui alioquin ſubſiſtere minime poſſet; Deus in ordine etiam gratiæ divitem pro paupere, ac pro divite pauperem fecit, & quemadmodum eſt utriuſque Creator, uti dicit Scriptura: *Utriuſque enim operatus eſt Dominus*: voluit quoque ut mutua relatione alternis ad ſalutem aſſequendam juvarentur auxiliis! Divitem creavit, ut pauperi ferens opem exerceret Charitatem; creavit pauperem, ut divitis opem implorans exerceat patientiam, & humilitatem. Ita ſicuti mutuis in civili ſocietate ſibi proſunt officiis, ſibi quoque ultro, citroque in ſalutis negotio opitulantur, alii quidem honeſta liberalitate; alii vero humili gratitudine.

Eleemoſyna in Scripturis imperata.

Tribus in rebus præcepta a conſiliis diſtinguuntur: primum cum Scriptura præcipiendi utitur verbis; ea quippe auctoritatis expreſſio explicitam habet obediendi neceſſitatem: ſecundo, cum æternum minitatur ſupplicium; hæc enim damnatio ſignificat, ſi caſus feret, formalem legis fractionem futuram: tertio, cum aliquid facere omnes indiſcriminatim jubentur; hæc enim nota eſt obligationis, cujus nulla datur exceptio. At primum Deus eleemoſynam Divitibus explicitis imperat verbis: hoc ille mandatum irrogat populo ſuo, cap. 11. Deuteronomii: *Præcipio tibi, ut aperias manum egeno, & pauperi.* Secundo omnibus imperat divitibus, ferre nolens eorum quemquam huic deeſſe præcepto; atque ea potentia, quam in omnes homines obtinet pauperum jura conſtituit: *Præcipe divitibus hujus ſæculi facile tribuere &c.* Hoc autem jubet Apoſtolus a Timotheo diſcipulo ſuo divitibus omnibus indiſcriminatim prædicari. Tertio nullus dubitandi locus eſſe poteſt, quominus æternæ damnationis pœna propoſita Deus præcipiat eleemoſynam poſt ea, quæ de divite nequam in Evangelio narrantur &c.

1. ad Tim. 6.

Quænam ſit eleemoſynæ materia, & ex quibus bonis ſit eroganda.

Cum eleemoſynæ præceptum inſtitutum ſit, oportet etiam ut illius materia ſit determinata, & inſtitutus ſit fundus, ex quo debeat erogari, qua in re hæc ferme traduntur a Theologis. Docent autem in communi, conſuetaque neceſſitate ea, quę divitibus ſuperſunt, eſſe debere materiam eleemoſynæ: vult enim Sanctus Paulus aliorum affluentiam eſſe neceſſitatis aliorum ſupplementum: *Veſtra autem abundantia illorum inopiam ſuppleat.* At hæc abundantia eſt ſuperfluum divitis, ideoque eſt neceſſarium pauperis. Sancti Patres ſemper de hoc ſuperfluo locuti ſunt, ſemperque tamquam furti, & rapinæ damnarunt, qui retinent illud. Quod autem ad extremas pertinet neceſſitates, docent Theologi, ex iis, quæ eſſent neceſſaria ad conditionis, generiſque fulgorem tuendum, aliquid demendum eſſe; charitas enim chriſtiana in hujuſmodi occaſionibus exigit, ut pauperis vitam noſtræ dignitatis ſtatui præferamus.

1. Cor. 8.

Quid cenſeri debeat neceſſarium, quid ſuperfluum.

Ut autem liquido pateat, quid ſuperfluum, quidve neceſſarium ſit diviti, hæc a Doctoribus præcepta traduntur. Aliud, inquiunt, vitæ neceſſarium eſt, aliud ſtatui, & conditioni vitæ neceſſarium in victu, veſtimentis, domibuſque conſiſtit; neceſſarium conditionis in iis poſitum eſt, ſine quibus dignitatis noſtræ muneribus ſatis perfungi non poſſumus. Similiter aliud naturæ ſuperfluum eſt, aliud ſtatus. Naturæ ſuperfluum id eſt, quod excedit quidquid eſt vitæ neceſſarium; ſtatus vero ſuperfluum, quidquid exuperat conditionem, quæ exercetur, & id ſine quo muneris noſtri officia obire non poſſumus. Præceptum autem eleemoſynæ omnes ſine ulla exceptione obligat ea pauperibus erogare, quę ſunt ſuæ conditioni ſuperflua, conditioni inquam chriſtianæ; alioqui enim ſi dives bona ſua metiri cupiat ex ambitione, vel voluptatibus ſuis, non ſolum nihil erit illi ſuperfluum, immo deerit etiam neceſſarium. Honeſta igitur, & chriſtiana conditio, in qua a Deo conſtitutus eſt, pro norma eſt habenda.

Eleemoſyna eſt actus juſtitiæ.

Pſal. 111.

Non immerito eleemoſyna in Scripturis juſtitia vocatur: *Diſperſit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*: quia cum pauperibus opem ferimus, hæc non tam gratia eſt, quam juſtitia; non tam charitas, quam exercemus in illos, quam debitum, quod illis perſolvimus; & illis ſuperfluum denegare, eſt bona eorum retinere, & injuriam illis inferre. Ideo Scriptura eleemoſynam debitum vocat, quo fraudamus pauperes, cum hoc illis perſolvere detrectamus; *Eleemoſynam pauperis ne defraudes ... redde debitum tuum.* Videlicet quemadmodum oppreſſionis furtum eſt, quo pauperes facimus; furtum quoque detentionis eſt, quo opem illis negamus, qui pauperes ſunt; quod æque injuſtum eſt, & criminoſum.

Eccli. 4.

Quærunt, utrum divites domini ſint bonorum, quę legitime adepti ſunt. Quidam Sancti Patres poſt Sanctum Chryſoſtomum crediderunt, probaruntque, illos eorum tantum œconomos eſſe, atque diſpenſatores juxta Dei voluntatem. At Sanctus Thomas, qui Scholaſtico acumine rem preſſius conſiderat, illos quidem Dominos eſſe ait quoad proprietatem; ſed quoad uſum hęc bona non

2. 2. q. 32. art. 5. ad 2.

non ipſorum tantum eſſe docet, verum etiam eorum, qui illis indigent, ut nutriantur; vel ut alii tradunt, hęc illis bona contulit Deus, ut quod ipſis ſuperfluum lupereſt, in pauperum neceſſitatibus levandis impendant. Eadem præter propter ratione, qua Principes aliquot tributa feudis, quæ ſubditis ſuis elargiuntur, imponunt, ut liqueat, ea ipſis deberi: ita Deus ex horum Doctorum ſententia in iis, quæ divitibus contulit bona, ſibi tributum reſervavit in pauperum gratiam, ac explicitis verbis præcepit, ut locupletes divitiarum ſuarum partem aliquam conferrent egenis, poſtquam pro ſtatus ſui dignitate victui ſuo conſuluiſſent.

Eleemoſyna major eſſe debet pro divitiarum magnitudine, & pauperum neceſſitate.

Chriſtiana eleemoſyna ut Deo ſit accepta major eſſe debet pro magnitudine bonorum in divitibus, & neceſſitatum in pauperibus; videlicet qui plura poſſident, plura erogare tenentur, qui vero pauciora, minus, ſecundum ea, quæ filio ſuo monita tradidit Tobias: Secundo metienda eſt ex pauperum egeſtate, hoc eſt liberalius eſt eroganda iis, qui in majori neceſſitate, ac tempore magis calamitoſo verſantur.

Eleemoſyna effectum habet ſpiritualem, æque ac corporalē, & quonam in ſenſu.

Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 4. ait, licet eleemoſyna ſumpta in ſubſtantia ſua non alium habeat effectum, niſi corporalem, videlicet refectionem pauperis, & miſerię ejuſdem ſolatium, non deeſſe tamen & ſpiritualem effectum propter fructus orationis, quam pauper tenetur effundere pro benefactoribus ſuis, & propter gratias, quas nobis apud Deum poteſt promereri. Hoc ipſum Sapiens affirmat, ac tenet, eleemoſynam eſſe pretium, quo anima divinæ obligata juſtitiæ redimitur, unde Patres occaſionem arripuerunt detegendi quamdam ſacrificii ſpeciem in eleemoſyna, idque didiciſſe videntur ex Apoſtolo, qui eleemoſynas hoſtias ad procurandam noſtram cum Deo reconciliationem idoneas appellat: *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Itaut eleemoſyna peccatorum etiam, qui obſtinati ſunt, omnemque ſpem abjecerunt, quantumvis illis primam gratiam promereri non poſſit, quæ eſt mere gratuita, poſſit tamen flectere Deum, ut de interitu illos potius eripiat, quam alium quemlibet peccatorem, qui proximi ſui minime miſereatur.

Ad Hebr. cap. 13.

Futura egeſtas, ſi ſit incerta, ab eleemoſynæ præcepto non liberat.

Hoc etiam perſuaſum eſſe debet; ſi incertum eſt, te aliquando egere poſſe bonorum, quæ pauperibus erogaveris; hanc futuri temporis incertitudinem non eſſe legitimam excuſationem, ut ab eroganda eleemoſyna tecum diſpenſes. Alioquin fruſtra Deus hoc hominibus præceptum irrogaſſet; nemo enim eſt ad quemcumque magnitudinis apicem evectus ſit, & quibuſcumque divitiis affluat, qui de gradu deturbari non poſſit, atque ſexcentis inopinatis occurſibus ingentia hæc bona amittere nequeat.

Quo in ſenſu eleemoſyna ſit diſpoſitio ad peccatorum veniam conſequendam.

Cum dicitur in Scripturis eleemoſynam peccata remittere; ne putes, poſſe eleemoſynam per ſe juſtificare peccatorem; hic enim peccatum ſuum delere non poteſt, niſi per contritionem, vel Pœnitentiæ Sacramentum. Quamvis omnia bona pauperibus erogarem, Sanctus Paulus ait, niſi charitatem habuero, vel ſaltem in pœnitentia inchoatam, vel in contritione perfectam, omnes eleemoſynæ inutiles eſſent. Quid igitur ſibi volunt illa Scripturarum, Patrumque Oracula, ubi Spiritus Sanctus, ac poſtmodum Sancti Doctores tot laudibus hunc eleemoſynæ fructum celebrant, quod videlicet delere poſſit peccata? Elogia, & promiſſiones, quas continent, vera quidem ſunt, ſed illud innuere tantum volunt; præſtantiſſimam eſſe diſpoſitionem juſtificationi recipiendæ, cum voluntas fidei ſupernaturalis actu fertur in illam; & Deum illam pro divitum juſtificatione, ut plurimum, efflagitare.

Quomodo eleemoſyna peccatoris converſionem mereatur.

Theologorum ſententia eſt, eleemoſynam cum fidei ſpiritu factam mereri peccatoris converſionem, & gratias, quę ſunt diſpoſitiones ad illam, merito quodam remoto, quod vocant *de congruo*, & quod virtutis hujus innititur qualitati, nec non explicitis promiſſionibus, quas Deus quidem in illius gratiam in veteri Teſtamento propoſuit, & quas in Evangelio Chriſtus Jeſus confirmavit; promiſſionibus inquam, ex quibus Patres extraordinarias quaſdam loquendi rationes educunt ad eleemoſynæ meritum exprimendum. Alii cum Sancto Auguſtino dicunt, Jeſum Chriſtum hoc pacto hominum fieri debitorem; addunt alii, nos argenti pretio quodammodo Dei Miſericordiam, & Jeſu Chriſti gratiam comparare. *Et redemptio animæ, miſericordia*, Sanctus Ambroſius inquit. Alii procedunt ulterius, ac dicunt, Judicem noſtrum muneribus quadam ratione corrumpi, fierique, ut pro nobis juſtitiæ ſuæ leges immutet. Ex hac autem mirabili virtute, quam habet eleemoſyna, & ex ingenti oppoſitione illa, quam tot peccatores ſecundum mundi conceptum felices, Regno Dei videntur habere, Sanctus Auguſtinus concludit non deeſſe, qui non niſi per eleemoſynam ſaluti ſuæ proſpicere poſſunt: *Quidam ſyne eleemoſynis ſalvari non poſſunt, ita ſunt ſuis cupiditatibus irretiti.*

Divites ex juſtitia eleemoſynam erogare tenentur.

Plurimorum, eorumque graviſſimorum Theologorum ſententia eſt, divitem, ex quo dives eſt, ex juſtitia teneri, ut pauperibus eleemoſynam tribuat. Quod autem juſtitiam vocant, urgens, ac inevitabilis neceſſitas eſt unicuique ſuum tribuendi. *Opus juſtitiæ eſt reddere unicuique, quod ſuum eſt.* Ita divites ex juſtitia teneri pauperibus opem ferre; idem eſt ac partem obtinere bonorum, quæ ad pauperem pertinent. Hi ergo probare volunt Theologi, pauperem jus quoddam habere in divitum bona; habentem non habenti debere quamdam bonorum ſuorum partem; pauperem denique quemdam proprietatis habere titulum in partem bonorum divitis; ejuſque dominum eſſe, licet poſſeſſor minime ſit; ideoque, partem hanc, quæ ad ipſum pertinet, retinere, & eripere, æque gravem eſſe injuſtitiam, ac fratri auferre partem, quæ ex paterna hæreditate illi contingit. Hæc Theologorum deciſio Sanctorum Patrum ſententiæ innititur, quæ ſatis oſtendit, ipſos credere eleemoſynam non eſſe ſolum maxime neceſſarium charitatis officium, verum etiam arctiſſimæ juſtitiæ obligationem.

S. Auguſt.

Quo in ſenſu intelligendo illud quod Scriptura inquit, peccata eſſe eleemoſynis redimenda.

Peccata eleemoſynis redimere ſecundum Prophetę Danielis conſilium Regi Nabuchodonoſor traditum, non eſt peccati labem eluere, ejuſque veniam impetrare; hic enim effectus in adultis uni pœnitentiæ acceptus eſt referendus. Eleemoſyna, aliarumque in ſpiritu fidei virtutum exercitatio, non ſunt profecto inutiles homini, qui actu in peccato verſatur; flectunt enim Divinam Miſericordiam virtute hac, quam, ut diximus, Theologi meritum *de congruo* vocant, ut peccatori gratias impertiat, eique pœnitentiæ ſenſus infundat, qui per ſe deleant peccata; quod neque eleemoſyna, neque virtutes aliæ poſſunt efficere. Hæc igitur redemptio, quam ſacræ ſuadent litteræ, in proprio, arctoque ſenſu nequit intelligi; niſi de pænis, quę poſt peccata jam per pœnitentiam deleta, adhuc ferendæ ſuperſunt.

Quod autem ſpectat ad ordinem eorum, quibus eroganda eſt eleemoſyna, nec non ad conditiones, effectuſque illius, & utilitates, quæ inde in hac, alteraque vita percipiuntur, ſatis abunde ſequenti in Paragrapho habebitur ſermo.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci de Eleemoſyna.

Deus noſtris oblectatur eleemoſynis, & quodammodo iiſdem ſe obligari profitetur.

DEus licet omnibus affluat divitiis, a nobis nihilominus petit; licet turpis avaritiæ non tangatur affectu, ſancto nihilominus fœnore oblectatur; *Numquam avarus, & uſuras exigis*, Sanctus Auguſtinus inquit: & licet nemo poſſidere poſſit, quod non ſit illius, dignatur nihilominus ſuæ fieri debitor creaturæ: *Supererogatur tibi, ut debeas*, idem ait. Incredibile quidem videtur, a nobis dari Deo plura, quam debeamus, ſupererogationis opera efficientes; & tantum abeſt, ut Deo aliquid ſupererogare videamur, quod immo ea, quæ debemus, vix, ac ne vix quidem illi perſolvere poſſumus. Attamen Sanctus Auguſtinus hic perſuadere vult, ubi aliqua ſupererogationis opera facimus, Deum nobis debere; & quamquam quidquid tunc etiam temporis facimus ex ejus gratia, & liberalitate accidit nobis, hoc tamen ab illo tamquam aliquid debitis noſtris ſuperadditum exiſtimari; ideoque deinceps ab illo tamquam juſto judice reddi, quod nobis debetur. Hoc autem in eleemoſyna potiſſimum adimpletur, quæ ex omnibus operibus una eſt, quam præ cæteris arctius præſtare tenemur. *P. Thomaſſinus in Confeſſiones Sancti Auguſtini.*

Dei Filius ſibi facta, putat, quidquid pauperibus erogamus.

Quamquam Jeſus Chriſtus adſit in iis omnibus, quæ proximi noſtri vocantur; nihilominus videtur apertius promiſiſſe, ſe in egenis adfuturum, ac tamquam ſibi collata reputaturum beneficia, quæcumque illis fuiſſent impenſa. Exempli gratia in Evangelio non ait explicite, ſe noviſſimo judicii die

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

die ex nobis expetiturum, utrum illi in Principum perſona paruerimus, ſed utrum illum in eſurientium perſona aluerimus. Et conſtat ratio: quia cum in pauperibus nihil occurrat, quod noſtram mereatur commendationem; immo quidquid in illis deprehenditur, nos avertat, nobiſque nauſeam afferat; neceſſe erat, Sanctus Chryſoſtomus inquit, ut Jeſus Chriſtus ſeipſum proponeret tamquam objectum officiorum eorum, quæ illis ſunt impendenda, magis explicita cogitatio præſentiæ ipſius omnem ſuperaret repugnantiam, qua naturaliter in id curam omnem horremus transferre, ut eos aliqua ope recreamus. *Fromentieres in hujus argumenti Sermone.*

Prætextus, qui efferuntur, ut noſmet ab eleemoſyna erogan da diſpenſemus.

Nihil habemus, inquitis, niſi quæ ſunt noſtræ conditioni neceſſaria: verum quot ab ſus ſub inani aſſertæ hujus conditionis prætextu? Quot in mundo de ſua conditione præter omne jus, & fas loquuntur? Quot obſcuro loco nati, vel populi ſumptibus enutriti concuſſionibus ſuis, paucos annos ante nullam habeant, quam tuerentur, conditionem? Utrum quin hæc exprobremus, nonne patet pulcherrimam, tutiſſimamque Chriſtiani hominis conditionem, ipſam eſſe conditionem Chriſtiani: ſed conditionem, quæ a divite ſuſtineri nequaquam poteſt, niſi uberes eleemoſynas fuderit? Fateor equidem nonnumquam accidere, ut qui aliis præſtant dignitate, pluribus cedant opulentia, & vix ea, quæ ſunt neceſſaria, poſſidere; ſit ſi hoc verum eſt, eæ tot mortalibus, qui hoc in numero eſſe contendunt, quæro, utrum neceſſitatem ſuam nimium excendant, & utrum hoc ſuperfluum vere ſit, ideoque pauperibus acquiſitum? *Idem.*

Falſus malorum temporũ prætextus.

Nihil aliud habetis (o mulieres), niſi quod neceſſarium eſt? Quid igitur eſt luxus iſte, qui hodierna die in veſtimentis, comitatu, ac ſupellectili veſtra renidet? Sanctus Chryſoſtomus olim Conſtantinopoli Templorum valvas concluſit divitibus propter luxum eorum: ſed hodiene minus id facere poſſet? Et adhuc temporum calamitates poſſent incuſari? Verum uter melius hanc temporum calamitatem ferre poteſt, illene pauper, qui in rerum omnium indigentia languet, cui panis in diem craſtinum minime ſuppetit, qui miſeriis obrutus eſt, an vos, quæ quidquid dicatis, abunde ſemper invenitis quod luxui, vanitatique veſtræ ſufficere poſſit? Mala ſunt tempora; num ideo minus eſtis ſuperbæ in domibus veſtris? Numquid minus magnificæ in perſonis veſtris? Numquid luxu, inſaniſque ſumptibus minori ſcandalo eſtis Eccleſiæ? Heu; ne dicatis iterum mala eſſe tempora, niſi pauperibus. *Idem.*

Occaſiones, in quibus eleemoſynam erogare tenemur.

Si nobis rerum omnium affluentia gaudentibus pauperes fame, ac ſiti laborant; ſi plura poſſidentibus indumenta pauperes nuditate, ac frigore ſqualent, ſi pretioſis periſtromatis ornatas ædes habentibus, vix ac ne vix quidem illi ſubſiſtere poſſunt; liquido conſtat nos locupletes eſſe eorum habita ratione; nulla re ab eleemoſyna eroganda ſolvi nos poſſe, ac Deum ſine miſericordia in nos judicium eſſe laturum, ſi hujuſmodi in occaſionibus caruerimus miſericordia. Charitatis exercitatio, generatim loquendo, adeo ad ſalutem noſtram neceſſaria; ut hæc una nobis ſuperſit via faciendi fructus dignos pœnitentiæ, ac prohibendi, ne Deus in ira ſua nos ex hac terra divellat tamquam arbores mortuas, ac inutiliter eam occupantes. Hoc S. Joannes Baptiſta nos docet: *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et interroganti populo quomodonam poſſet dignos pœnitentiæ fructus facere: *Reſpondens dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.*

Luc. 3.

Eleemoſyna eſſe debet ſolatio divitibus.

Ne putetis, Fideles, eleemoſynę præceptum eſſe veluti oneroſum jugum: ſi quid enim ſolatio eſſe poteſt diviti hoc in ſtatu, ſane eſt præcepti hujus irrogatio. Quid enim facerent divites ſuper terram, ſalutem conſecuturi, niſi hanc illi Deus legem irrogaſſet? Quam illi invenirent viam, qua ex mundi corruptione poſſent emergere? Quomodonam Dei flecterent iracundiam? Quomodo illius miſericordiam excitarent? Tandem enim quomodo hæc facere poſſunt, niſi exerceant eleemoſynam? *Idem.*

Ex quo fieri debeat eleemoſyna.

Pro eleemoſynarum veſtrarum materia ex ſtatu veſtro id fieri tantum volo, quod ſcelerum, flagitiorumque veſtrorum fomentum eſt; ſtatus veſtri ſuperfluum. Superfluum ſtatus veſtri, exempli gratia, id voco, quod in libidines veſtras impenditis: abdicate aviditatem veſtram, turpemque hanc vanitatem, quæ fortaſſe futura eſt veſtræ reprobationis cauſa, ac ſuperfluum invenietis. Quod in alea, ludiſque inſumitis; iis inquam ludis, quos tantopere deperitis, & qui vos excæcant, numquid ſuperfluum eſſe negabitis? Hoc agitur ergo, ut quod ſuperfluum eſt vobis, fiat eleemoſynæ veſtræ materia: hoc eſt, obſonia, quæ poſt prandium ſuperſunt, veſtra non ſunt, ſed pauperis fame pereuntis; hoc eſt, veſtes, quas in veſtiaria theca aſſervatis, quæ veteraſcunt, veſtræ non ſunt, ſed pauperis, qui nudus eſt. Ita Patres omnes locuti ſunt, præſertim vero Sanctus Ambroſius: *Famelici eſt panis iſte, quem recondis; nudi eſt tunica illa, quam in conclavi ſervas. Idem.*

Eleemoſynæ obligatio probatur.

De eſſentia charitatis erga proximum eſt non ſolum illum diligere, verum etiam ei benefacere; tunc præſertim cum noſtro eget auxilio, & in neceſſitate invenitur; Sanctus enim Joannes nos admonet, ne illum verbo tenus, & lingua, ſed opere, & veritate diligamus. At per eleemoſynam pauperi opitulamur; ideoque Eccleſiæ Patres teſtantur, Dei Filium eleemoſynæ pauperibus erogandæ præceptum in mandato de proximo, tamquam noſmetipſos amando fuiſſe complexum. *Ex Tractatu, qui inſcribitur, Advocatus Pauperum.*

Dei Filius in pauperum perſona omnibus indiget.

Salvianus egregie ait quoſdam eſse pauperes, quibus plurima deſint, nullum tamen, cui omnia deſint omnino; ſed Jeſum Chriſtum unum eſse rebus omnibus carentem; ipſum exulare cum exulantibus, algere cum algentibus, nudum eſse cum nudis, eſurire cum eſurientibus, ſitire cum ſitientibus, atque in ſuæ compaſſionis ſenſu, unum magis indigere, quam omnes pauperes ſimul. Quia addit ille, ſinguli pauperes in ſe indigent, & propter ſe tantum; at unus Jeſus Chriſtus eget in omnibus indigentibus, atque in omnibus ſtipem flagitantibus mendicat. *Solus tantummodo Chriſtus eſt, qui in omnium pauperum neceſſitate mendicat. Salvianus lib. 4. ad Eccleſ. Cathol.*

Ad quid Divitibus prodeſſe poſſunt divitiæ, quas poſſident.

Unica utilitas, quam ad ſalutem ex divitiis ſuis haurire divites poſſint inter multos obices, quos illę ad hanc aſſequendam opponunt, hæc eſt, quod viam illis aperit ad ea ſolvenda, quæ divinæ debent juſtitiæ, eleemoſynam pauperibus erogando. Quid autem illi non debent? debent profecto immodicam reparare affectionem, qua divitiis adhæſere, & abuſum, quo eas in luxus, ac flagitia impenderunt. Idololatriam ſuam repararunt Iſraelitæ in Tabernaculi ſumptus transferentes eaſdem divitias, ex quibus aureum conflaverant Vitulum. Avaritia, ex Sancto Paulo, ſpecies quædam eſt idololatriæ; eam reparare adnitamur, opes in ædificandis viventibus Dei Tabernaculis, qui Pauperes ſunt, inſumentes. *P. Nepveu Tomo 1. Conſiderat.*

Spes hominis ſecho proximi, qui charitatem exercuit in pauperes.

Qui erga Pauperes charitatem exercuit, tutus eſt cum alii contremiſcunt, hoc eſt hora mortis adventante, cum eſt coram ſupremo judice prodituros; qui licet incorruptibilis ſit; flecti ſe patitur pecunia, dummodo in pauperum manibus deponatur. Qui miſericors in egenos eſt, in Judicis ſui perſona & debitorem invenit, & fidejuſſorem; numquid illi metuendum eſt? Judex illi iis apparet indutus veſtibus, quas ipſe pauperi tradidit; hoc nonne ſummam in illo ciere debet confidentiam? Homo tot habet diſertiſſimos apud judicem patronos, & oratores, quot ipſe pauperibus opitulatus eſt: Nequicquam dæmon, & peccata noſtra nos arguunt, ſi nos pauperes excuſent; ſtatim namque nos Jeſus Chriſtus juſtificat, & eo juſtificante, quis damnare nos poteſt? Jeſus Chriſtus miſericordem hominem damnare non poteſt niſi ſuam immutans ſententiam, vel ſibimetipſi contradicens: nam ex ipſis ſententiæ ſuæ verbis homo ille invictam expromeret rationem, qua cauſam ſuam tueri, & judicem ſuum poſſe interpellare. *Idem.*

Divitis affluentia, inquit Apoſtolus, pauperis egeſtati ſupplere debet, & alterius ſuperfluum eſt, alterius neceſſarium; quod ſi alter alteri neget, quodammodo furatur. Panis, qui domi tuæ putreſcit; pecunia quæ inutilis ærugine conficitur, tua non ſunt, inquit Sanctus Baſilius. Si pauper eſuriens te panem non afferente occidit; tu illum occidis: *Non paviſti: occidiſti.* Illius miſeria a Deo contra ſævitiam tuam depoſcit ultionem, & contra te ejuſdem armat miſericordiam, te vero illius damnante miſericordia, ubi refugium invenies? *Idem Tom. 3.*

Jeſu Chriſto eleemoſynam pauperibus erogantes.

Sanctus Chryſoſtomus in Homilia hujus argumenti, quæ in ſexto Operum ſuorum Tomo invenitur, ait Deum carnem factum, atque noſtræ naturæ conjunctum paupertati quoque cohęſiſſe, cum illa quamdam ineffabilis unionis ſpeciem efficiendo; eo quod pauper eſt tabernaculum, ubi latet Deus, quemadmodum ſacra Pyxide tegitur. Ita pauper quidem protendit manum, ſed recipit Deus, quod pauperi tribuitur: Deus nobis debitor eſt, & Omnipotens ſe nobis gratiam relaturum pollicetur. Hac ratione licet ille abſit a nobis, adhuc tamen nobiſcum eſt in perſona pauperum, noſtras recipit eleemoſynas, nos ſua gratia, ſuiſque cumulat beneficiis.

Pauperibus, quos mendicare pudet, ſubveniendum.

Pauper nonnumquam os habet, ut ea, quibus indiget, ex vobis petat; at nonnumquam etiam ore caret; ut verecundi illi pauperes, qui ſentiunt quidem egeſtatem ſuam, at illam non audent exprimere, & pudor eos fari vetat. Hujuſmodi egeni os non aperiunt, verum nihilominus eorum clamat inopia. In hujus viæ hominibus, quam felices eſtis, ſi eam imitamini rationem, qua nobis benefacit Deus! Noſtras prævertit petitiones, ut noſtris opem ferat calamitatibus, non noſtras tantum preces exaudit, ſed ipſas quoque diſpoſitiones, in quibus eas effundendi verſamur. Verecundi pauperes voce carent, ut ſuas vobis exponant neceſſitates; at vocem habet eorum paupertas: hanc audi. Ex te peterent opem, ſi auderent; illos præveni, neque præſtolare, donec efflagitent, ſed pro diſpoſitione neceſſitatis, in qua illos vides, eis eleemoſynas eroga. *P. Nepveu in Conſiderationibus.*

Accuratius iis ſubveniendum, qui majoribus ſunt ornati virtutibus.

Pro ea ſimilitudine, quam cum Jeſu Chriſto pauperes habent, atque prout illis perfectiores imagines ſunt, ita arctior eſt obligatio, qua illis opem ferre tenemur; hæc enim obligatio præſertim ſimilitudini, & conformitati, quam cum Jeſu Chriſto habent, innititur. In hoc autem Homine-Deo duo erant; ſumma videlicet paupertas, & ſanctitas infinita. Inter pauperes, alii ſunt duntaxat Jeſu Chriſti imagines quatenus paupertatis ejuſdem participes: alii vero quatenus etiam virtutum ejuſdem imitatores. Cum ergo utraque hæc imago ſimul inveniatur, tunc arctior eſt obligatio, & hujuſmodi pauperes cæteris ſunt anteferendi. Cum enim Jeſus Chriſtus ſit cauſa, propter quam pauperibus adeſſe, & prodeſſe debemus, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quo propius ad Dei ſimilitudinem pauper acceſſerit, eo majori charitate a nobis opem illi eſſe ferendam. *Idem.*

Quænam eſſe debeat miſericordia, propter quam eleemoſyna eſt eroganda.

Ut plane intelligas, quænam ſint veræ eleemoſynæ, & opera miſericordiæ a nobis exercenda, ſciendum eſt quænam virtus ſit miſericordia; hæc enim eſt velut arbor, cujus fructus ſunt eleemoſynæ. Miſericordia autem ſenſus eſt compaſſionis, ac tener quidem affectus, quo dolemus, noſtrumque cor tangitur, ubi alienæ calamitates noſtris accidunt ſenſibus, itaut ad lavandas, ſi per nos fieri poſſit, eorum, ſeu corporales, ſeu ſpirituales neceſſitates excitemur. Dei proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere, canit Eccleſia, quæ docet infinitam divinæ potentiæ, ac bonitatis magnitudinem in hoc magis, quam in alio quolibet operum ipſius elucere. Hoc nobis Regius indigitat Propheta per ea verba: *Suavis Dominus univerſis: & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Ita nihil eſt Deo acceptius ea miſericordia, quam viciſſim exercemus, hujus enim virtutis exercitatione melius Deum imitamur. Ideo Salvator hoc nobis explicite mandat, dicens: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Bartholomæus Carranza. Tractatu de Eleemoſyna.*

Pſal. 144.

Luc. 6.

Pauperi eleemoſynam derogare, ubi erogari poſſit, eſt ſe furti reum facere.

Proculdubio, Sanctus Ambroſius inquit, non levius flagitium eſt pauperi neceſſariam eſcam negare, quam eidem tribuere poſſis, quam illi eripere fruſtum panis, quod alibi emendicavit, ut aleretur. Numquid enim Sanctus Baſilius addit, alio quod furis nomine poteſt nuncupari, qui cum nudum poſſit induere, non induit? Veſtimenta, quæ in ſcriniis aſſervatis, eorum ſunt, qui ſunt nudi; ſcitote vos tot furari pauperibus, quot poteſtis alere, cum eos alere detrectatis. Quicumque ſuperflua poſſidet bona, aliena poſſidet; ſuperfluum enim divitum, Sanctus Auguſtinus inquit, eſt pauperum neceſſarium. Ideo egregie Sanctus Hieronymus ait, convictum eſſe tamquam raptorem bonorum pauperis, qui plura bona ſibi retinet, quam quæ ſibi ſunt neceſſaria. Hæc veritas tot confirmata doctoribus efficere profecto deberet, ut ſeſe colligerent divites, quibus tot ſuperflua ſunt. *Idem.*

Miſericordia in pauperes eſt hominibus naturalis.

Miſeratio virtus eſt hominibus naturalis, Sanctus Joannes Chryſoſtomus inquit. Lacrymæ, quas adeo libenter effundimus. hęc cordis perturbatio, qua tanta cum voluptate afficimur aliena intuentes mala, ex ejuſdem Doctoris ſententia, reliquiæ ſunt originalis ęquitatis, in qua nos Dominus efformavit: *Ad commiſerationem a natura commovemur omnes, nihilque tam bonum eſt in humanitate noſtra.* Videtur igitur Fidelibus hodie ad teneram erga pauperes miſerationem excitandis, atque eleemoſynæ efficaciter ſuadendæ ſatis eſſe debere, hoc in loco miſerrima hypotipoſi vobis ob oculos objicere ea mala, quę paupertas in terris effundit, ac mentes veſtras transferre modo in carceres teterrimos, ubi calamitoſi homines & paupertatem, & captivitatem ſimul patiuntur; modo in horrentia noſocomia, ubi languores ægroti miſericordis divitis opem præſtolantur; & modo in remotiſſima tuguria, ubi egentes familię ęque, & paupertatis rigore, & illius conſitendæ pudore torquentur. Hoc ſpectaculum vos ſane flecteret; at eamne vim cordibus veſtris afferret, quam ego vellem? Afficerentur illa quidem miſeratione; ſed fortaſſe inutili, inanique. Aliquid vehementius requiritur, quam ſimplices humanitatis ſenſus, ut cogamini adeo eſſentiale munus explere, quale eſt eleemoſynam erogandi. *Sermo Manuſcriptus P. Cetron J.*

Superfluum pauperibus debitum.

De ſuperfluo judicium laturi, illud ex neceſſario æſtimandum eſt: quidquid enim ſuperfluum eſt, non eſt neceſſarium, & quidquid neceſſarium, non eſt ſuperfluum. Hinc ſequitur, divitem pauperi nequaquam, ut plurimum, debere, quod neceſſarium eſt: Providentia, & jus gentium illum in tranquilla poſſeſſione confirmant; ejuſque poſſeſſio cogitatis cæterorum prætenſionibus prętat. Amplius dicam, hoc neceſſarium non continetur ſolum intra vitæ neceſſitates, ſed ad ſtatus cujuſcumque decora etiam extenditur. Dominus enim, qui conditiones diſtribuit, voluit etiam, circa ſcelus ſuſtineri poſſe earum dignitatem exteriori ornatu, qui illas maxime deceant. His innixi principiis facile judicari poteſt, quid in quolibet ſtatu ſuperfluum ſit appellandum. Rectam hic poſco fidem: & ſi dives hominum oculos poteſt fallere, Dei certe judicium non effugiet . . . . Superfluum voco primum quidquid in vitæ mollis delitias impenditur; deinde quidquid in immodicis ludis, alëiſque conſumitur; tertio quidquid in inordinatum luxum transfertur. Itaque quidquid mollitiei fovendę velificatur, ſuperfluum eſt; cur iſtud? quia neque vitæ conſervationi, neque ſtatus honeſtati eſt neceſſarium. Et ſane hæc profuſio in conviviis; hæc diligens epularum, exquiſitiſſimorumque conviviorum perquiſitio, tantum abeſt, quod ſaluti, quę reipublicæ pretioſa habetur, proficiant, ut virtus in ipſas uſque venas inferant. Verum quid prodeſt ſtatui veſtræ dignitatis, magnificus hic mollitiei apparatus, qui in ipſo voluptatis ſinu vobis ſoporem inducit? Quid immo aptius ad moleſti muneris, graviſque honoris officii tarditatem afferendam? Quod in immodicos ludos abſumitur, neque vitæ, neque conditionis dignitati eſt neceſſarium. Tantum abeſt, quod alea ſalutare afferat ſolatium, ut immo neceſſarium graviſſimis imminuit jacturis, & valetudinem vigiliis infirmat. Denique, o ſæculi mulieres, quod in pretioſos ornatus, magnificam ſupellectilem, mundumque muliebrem impenditis, ſæpe neque ſtatui veſtro, neque veſtræ valetudini eſt neceſſarium. Hæc igitur omnia ſunt pauperum; ſuperflua ſunt ad illos ſpectantia. Ne dicamus igitur amplius: Nihil mihi ſupereſt; cuinam calamitoſis hiſce temporibus aliquid ſuperſit? O nos indiſcretos! nos vanitas prodit, & amor voluptatis atque mollitiei querimonias omnes redarguit. Numquid in aleis veſtris, luſoriiſque cœtibus ceſſavit profuſio? affluentia, ac delitiæ nitentne amplius in vobis, veſtraque ſupellectili? eo ipſo momento, quo loquor, nonne immodicus luxus e capitibus veſtris renidet? *Idem.*

Pauperum numerus creſcit indeſinenter.

At enim pauperes ſeſe nobis non offerunt, & publica charitas ſolidis inſtitutionibus eorum proſpexit egeſtati. Heu fratres! nos proſcripſimus pauperes; at fecimus, ut paupertas proſcriberetur? Non ignoramus; indigentium numerus in dies ſingulos creſcit. In hoc, o ſæculi divites, vos ipſos intuemini, & juſte judicate. Non deſunt vobis ſuperflua; hæc eſt omnis obligationum veſtrarum cauſa. Veſtra igitur intereſt, calamitoſos homines conquirere; veſtrum eſt augere ea pietatis opera, quæ ex iis, quæ ſibi ſupererant, majores veſtri ſanctiſſime inſtituerunt. Noſocomia ære alieno ſupra vires gravata, pauperum victum multiplicabunt, ubi eorum redditibus per vos fiat inſignis acceſſio.

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

At numquid una tantum eſt ratio erogandi, quæ vobis ſuperſunt? Quot captivi ferreis obruti vinculis in barbaris regionibus ex fratrum ſuorum inhumanitate recentem arripiunt anſam fidei abdicandæ! Quot ultro paupertatem ſecuti omnibus ſeſe bonis exuerunt, ut in ſacro Apoſtolatus munere Jeſum Chriſtum ſequerentur? &c. *Idem P. Catrou.*

Qui beneficiis Eccleſiaſticis ditati ſunt præcæteris eleemoſynam erogaſe tenentur.

In Crucifixi præſertim bona, in immenſas opulentorum hominum, qui Eccleſiaſticis ditati ſunt beneficiis divitias illud jus habent pauperes, quod vix mente percipi poteſt. Parentes noſtri nobis, vel æquiores, vel ad charitatem magis propenſi in hujuſmodi inſtitutionibus, quæ repente egenum miniſtrum inter hujus ſæculi feliciſſimos homines collocat, non aliud ſibi propoſuerunt, quam per divitis miniſterium pauperum egeſtati conſulere. Sed qualiſcumque fuerit inſtitutorum intentio, Eccleſia bonorum Jeſu Chriſti adminiſtrationem illis, quibus eorum poſſeſſionem confert, impertit, hac explicita conditione, ut indigentibus opitulentur. Ita ſenſus ſuos explicat vera bonorum Crucifixi Domina in noviſſima Synodo. Audite, quicumque beneficium tamquam hæreditatem, & Jeſu Chriſti bona, tamquam Patrimonium veſtrum conſideratis: *Videant ne ſe, aut conſanguineos ſuos de redditibus Eccleſiæ ditent.* Quaſi illis Concilium præſcriberet, ut omnis naturalis affectus obliviſcerentur, ut juſtitiæ tantum meminiſſent, & utilitatem æquitati ſacrificarent.

Expoſitio miſeriarum pauperum, quæ noſtrã ciere debent miſerationem.

Humanitas (Auditores), & naturalis commiſeratio eſt veluti fundamentum chriſtianæ charitatis, quam egenis debemus. Ajo autem, ſolum indigentis intuitum in nobis excitare debere miſericordiæ ſenſus; ejuſque inopiam primum illud naturalis legis principium nobis occinere: Fac aliis, quod tibi factum velles. Cæterum non loquor de illis, quos vivendi licentia vagos fecit, & qui in ſe hominum miſericordiam converrere ſtudentes, eamdem avertunt: de veris pauperibus loquor, quales hæc civitas in extremis angulis regit; de bene, maleque valentibus, quos captivos hoſpitalitas retinet in domibus manu charitatis extructis; de tot derelictis viduis; de tot virgunculis duplici mortis, vel infamiæ periculo expoſitis. Sed ſingula percurramus. Ita tetri carceris ſqualore languet artifex miſer ob exiguam æris alieni ſummam, quam ſuperfluum divitis facile diſſolvere poteſt, detruſus in vincula. Quid ibi captivus non patitur, & quid propter ipſum deſolata ejuſdem familia non ſuffert? Alia ex parte video ægrotantem propius mortuo, vel morituro jacentem, ac venenatam mortis, vel morbi auram afflantem. Officioſæ profecto manus ejus inſerviunt neceſſitati, eique opem ferre ſatagunt; ſed ingens ægrorum numerus ipſos etiam majori zelo ſuccenſos Jeſu Chriſti famulos fatigat; & redditus ipſi ob multitudinem eorum, quibus eſt opus, exhauriuntur. Illic pauperem video domi ſuæ concluſum, ut vivat, libertatis pretio ſe a morte redimere. Cum ſanctarum harum inſtitutionum ſint modici redditus, magna indigentium copia imminuit deſtinata egeſtati ſubſidia: ibi libertas amittitur, & miſera vita vix trahitur. Sed hæc omnia calamitoſorum hominum genera miſſa faciamus, ut unum tantummodo intueamur; pauperum videlicet, quos verecundia prodire vetat; & in quos tyrannidem omnem paupertas exercet. Quis pudor eſt in lucem prodire ſine communibus ejus conditionis, ex qua exciderunt, ornatibus! Quæ confuſio inhumanis divitibus manum verecundam porrigere, ac probris objici, vel repulſam ferre poſt exantlata omnia egeſtatis opprobria! Quam in me excitant miſerationem, id genus ſpectacula? Si fratrem amare teneor, cum ſuperbia illum mihi facit inviſum, quid fratri calamitoſo, ac ſupplici debeo! me illius commovent ejulatus, ac gemitus, me etiam invito, cor ipſum afficiunt: *Extende manum tuam inopi, & carnem tuam ne deſpexeris*, ait ille mihi gemitibus ſuis. Aperi, frater, manum tuam, & æquali tuo ne deneges opem. Nobis communis eſt Pater: ego concivis tuus ſum, & conterraneus, fortaſſe & conſanguineus tuus, & me contemnis? Quam me movent hæc verba! &c. *Idem.*

Isai. 58.

Pauperis intuitus fidem, ac ſpem noſtram animare debet.

Pauperis adſpectus ſupernaturalem etiam charitatem exſtimulat; illum enim conſideranti mihi mea fides accenditur. Donec calamitoſus ſeſe meis oculis offert, in perſona illius Jeſus Chriſtus ſeſe fidei meæ offert. Externam ſpeciem, quæ nauſeam movet, non moror; hoc velum eſt, quo mihi occulitur Deus; Deum ſub ſcrutis illis, atque veteramentis invenio. Adhæc me pauperem cogitante, ſpes excitatur. Quot promiſſiones mihi in mentem revocat Deus? Eleemoſynæ, ego mihimetipſi loquor, reconciliationis gratiam, & ſatisfactionem pro peccato Deus adnectere voluit; per hanc mihi felicem obitum procurare poſſum, & maxima gratiarum omnium certam facere meam prædeſtinationem. *Idem.*

Cur Deus præceperit eleemoſynam, & quomodo divites hoc præceptum adimpleant.

Mirum eſt, fideles, eleemoſynæ præceptum a pleriſque ſpectari perinde ac nullam ferme obligationem injiceret; quaſi præceptum pro ſimplici conſilio poſſet haberi. Hæc illuſio, & error eſt ſemper magis, magiſque apud ſæculi divites percrebreſcens, qui in ſeipſis ſuffocare conantur teneros ſenſus, quos natura illis immiſit, & quibus ad fratrum ſuorum infelicitatem commiſerandam rapiuntur. Quid enim naturæ, quid rationi magis eſt conſonum, quam ſimili ſuo opem ferre, ejuſque levare paupertatem? Deus, qui humani cordis perverſitatem exploratam habet, atque compertam, & novit quouſque illius in proximum durities procedere poſſit, ut arctius illum obligaret, eique merito adſcriberet virtutem, ad quam a natura formatus, pronuſque videtur, voluit inde præceptum illi irrogare, quod citra ſcelus non poſſet infringi. At nobiſne perſuaſum eſt de præcepti hujus obligatione? credimuſne hoc eſſe præceptum, juxta quod noviſſima de nobis ſententia proferenda eſt, præceptum, cujus prævaricatio æternam nobis mortem eſt illatura? Heu! Si hoc nobis eſſet probatum, numquid tot viderentur hominum corda dura, inhumana, bonis hujus terræ adhærentia, quorum diſpenſatores facti ſunt juſta, & æqua Dei Providentia? *Sermo Manuſcriptus.*

Cuinam rei eleemoſynæ præceptum innitatur.

Eleemoſynæ præceptum ſapientiæ, & æquitati divinæ innititur. Quam enim (Fideles) ſapientiæ, juſtitiæque Dei noſtri ideam haberemus, ſi in inæquali hac diviſione alios quidem bonis omnibus, alios vero calamitatibus, & malis, quæ ſecum paupertas trahit, cumulaſſet; terræ ſubſtantiam aliis totam tradidiſſet, ac nullam pro aliis benedictionem ſervaſſet? Nonne hoc effecit, ut in graviſſimos de Providentia errores impingerent veterum Philoſophorum plerique, qui infirmam rationem ſequebantur ducem, & qui in obſcura Ethnicæ ſuperſtitionis caligine verſabantur; quia intelligere minime poterant, quomodo Deus ſapiens, & juſtus alios quidem in pulvere, miſeræque vitæ ſordibus, & rerum omnium, quæ ſunt neceſſaria, egeſtate relinquere potuiſſet; alios vero ad honorum apicem evehere, eoſque (abſit verbo invidia) beneficiorum ſuorum pondere obruere; præſertim vero cum ſe ejuſdem naturæ, iiſdem abnoxios infirmitatibus, iiſdemque virtutibus pares intuerentur? Nonne hoc nonnullos ad eum impietatis, ac cæcitatis gradum impulit, ut Deum, ac Providentiam negarent; ſortiſque, & fortunæ arbitrio acceptam referrent inæqualem adeo, variamque bonorum hujus vitæ diviſionem? Alii minus athei fortaſſe, & æque cæci Deum quidem agnoverunt, ſed otioſum, & hæc terrena negligentem. Solum igitur eleemoſynæ præceptum probat conſilia Providentiæ, quæ in hominum mentibus vel cæca, vel crudelis habita alioquin fuiſſet; cæca, quia fortuito bona ſua diſtribuiſſet: crudelis, quia oblectata fuiſſet miſeras faciens eas etiam creaturas, quas eduxiſſet ex nihilo. Sed per eleemoſynæ præceptum omnia in eum adducit ordinem, quem nemo ſatis poteſt admirari; & æque omnibus conſulit imperans, ut qui favoribus ipſius cumulati fuere, in partem eorum pauperes vocent. Qui ſane ordo æque utilis eſt utriſque; dives enim in imperata liberalitate iniquitatum ſuarum veniam, beatitudinem, ac modum opes ſuas ſanctificandi nanciſcitur; pauper vero in largitate divitis id invenit, quod manu ſua Deus ipſi noluit conferre; ita diſponente Deo, ut hinc quidem divites eſſent Providentiæ ſuæ miniſtri cooperatores, & vicarii, & quodammodo totidem pauperum vectigales; inde vero pauper a divitis charitate penderet, ut hac dependentia, quodam quaſi vinculo mutua inter ipſos ſocietas necteretur, & utrique certam ſalutis viam aperiret. *Idem.*

Sententia aliquando in judicio noviſſimo proferenda in eos, qui eleemoſynam non exercuerint, illius probat obligationem.

Nihil melius, apertiuſque poteſt eleemoſynæ obligationem oſtendere, quam terribilis illa exprobratio, qua vivorum, at mortuorum Judex utetur noviſſimam ſententiam contra reprobos prolaturus. Audite, & contremiſcite vos, qui, tantum abfuit, quod Viduam, atque pupillum tueremini, ut immo eos per ſummum nefas oppreſſeritis: vos,

qui pauperum manubiis eſtis locupletati; qui egenorum ſubſtantia ſaginati eſtis, qui eorum quæſtus, & ejulatus audiſtis, quin ad miſericordiam flecteremini, quinimmo eorum malis inſultaſtis; qui temporum calamitate eſtis abuſi, ut illos miſeriores, & calamitoſiores efficeretis, tyrannico auferentes commercio, crudelique fœnore eripientes quod modicum illis ſupererat; vos denique omnes, quibus erga fratres veſtros ænea ſunt viſcera, & ferrea corda; venite ſupremum audituri Judicem damnationis veſtræ ſententiam proferentem; felices adhuc, ſi donec dies illucet, cor veſtrum his vocibus flecti poſſit: *Diſcedite maledicti.* At quo diſcedent, Domine? *In ignem æternum.* Cur autem? Quia, Dominus inquit, *eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me;* extrema in pauperibus mala pertuli, quos tamquam membra mea ſpectare debueratis; & vos non ſubveniſtis. Ita ultionum Dominus in die iræ, ac furoris ſui coram univerſis gentibus divitem propriæ damnationi ſubſcribere coget. Poſt hæc ambigi ulteriuſne poteſt de præcepti hujus obligatione; quandoquidem ſupremus hic Judex reliquas Legis partes obliviſci videtur peccatorem ex hoc uno dumtaxat articulo judicaturus, & damnaturus? *Idem.*

Quinam ii ſint, quibus eleemoſynam facimus, & quo in ordine illos conſiderare debeamus.

Cogitate etiam (Fideles) quinam ii ſint, quibus eleemoſynas veſtras debetis; & quantumvis nobiles, atque potentes ſitis, quodcumque inter vos, ac illos intereſſe videatur diſcrimen, conſiderate, quinam ſunt calamitoſi illi, pro quibus apud vos hodie laboro. In quemcumque infelicitatis ſtatum illos paupertas redegerit, quibuſcumque ulceribus tecti ſint, licet faſtidium, nauſeamque moveant; hi tamen ſunt fratres veſtri, qui non ſecus ac vos divinitatis imaginem, & caracterem gerunt, quandoquidem Deum, & Patrem habent, & Creatorem; cum quibus arcto conjuncti eſtis vinculo per eamdem gratiam, eadem Sacramenta, eamdem ſpem, religionem eamdem, ac demum eamdem beatitudinem. Deus ergo illos creaſſet, ut eſſent calamitoſi, neque illi vidiſſent diem, niſi ut noctem, tenebraſque ejus nihili, unde fuerant educti, concupiſcerent, ſi eos rebus omnibus ad vitam traducendam neceſſariis omnino carere voluiſſet? At illis Deus abunde proſpexit vobis imperans eleemoſynam. Veſtrum, divites, eſt hac in re Providentiam ipſam juſtificare. *Idem.*

Luxus divitum auget dolorem pauperum victui ſuo neceſſaria petentium.

Cogitate, divites, pauperum bonis luxum ali veſtrum, & ſuperbos hos comitatus, quorum intuitus eorum dolorem, atque infelicitatem adauget. Conſiderate, donec vos rerum omnium affluentia abundatis, donec gemunt menſæ, abſit verbo invidia, ſub tot ferculorum pondere exquiſitiſſimis juſculis conditorum, pauperem præ foribus veſtris languere non depoſcentem, ut ſecum obſonia adeo delicata dividantur, neque ut convivio adeo magnifice inſtructo excipiatur. Quid ergo petit? Unde producere poſſit vitam, quæ propter duritiam veſtram ipſa ſepulcri caligine eſt illis acerbior; vobis relinquit cætera, & illi modicum, quo indiget, denegatur! O inauditam ſævitiam, ipſis etiam ſæviſſimis nationibus indignam! Audiuntur quotidie, quin aliquis ſe flecti ſinat, tot miſerorum gemitus, & querimoniæ; audiuntur, quin aliquis afficiatur querulis tot egenorum filiorum clamoribus, ſæpe deſolatam matrem obſidentium, panemque æquiſſimo jure flagitantium, quia ab eadem accepere vitam; ſed quæ (proh dolor!) nonniſi madentibus lacrymarum imbre genis, ſingultibus, & ejulatibus illis reſpondere poteſt? Videntur, quin pudeat, graves tot calamitoſorum hominum neceſſitates, qui in ipſo teterrimæ hyemis gelu non habent, quomodo frigus propulſent, & quo ſecedere poſſint; cum interim vos in aureis, & holoſericis veſtibus niteatis, & magnificas ædes inſtabitetis, ubi aurum, & ebur, atque pretioſa ſupellex renidet. O Dei mei Providentia, ubi es? Heu! mihi ſtupor minime inceſſit videnti pauperum miſeriam in dies percrebreſcere; quandoquidem divites luxum, atque magnificentiam ita provehunt, ut omnes conditiones permiſceantur, itaut neque Princeps, neque nobilis, neque plebejus poſſint diſtingui.

Summa duritia, qua plurimi erga pauperes utuntur.

Ut plurimum pauper non repellitur ſolum, verum etiam repulſæ dura verba acrimoniæ, & amaritudinis refertiſſima adduntur. Abite, dici aſſolet, vagi & errones eſtis, inertes, laboremque peroſi. Inhumani divites, qui hæc loquimini, non cogitatis, a Deo ipſos ad vos adduci, vel potius ipſum Jeſum Chriſtum in eorum perſona ſeſe vobis offerre? Numquid coram vobis ſiſtere poteſt ratione alia, quæ magis animos veſtros afficere poſſit, & commovere? Ad quos igitur eos confugere vultis? O Pauperes Jeſu Chriſti ad barbaras gentes diſcedite, ibi facilius inventuri, qui malorum veſtrorum miſereantur. Heu! divites, S. Chryſoſtomus exclamat, niſi vultis fratri indigenti opem ferre, ſaltem ne duritia veſtra illius miſeriam augeatis: niſi vultis vulneri medelam ferre, ſaltem ne graviſſimis exprobrationibus novum vulneri vulnus addatis. Quia victum a vobis petunt, opus eſt, ut illis mortem inferatis? Non deſunt rationes aliæ minus crudeles, magiſque delicatæ, quæ oculos ſpecie quadam horroris avertunt, ne pauperis ulcera, plagaſque intueantur; plagas eloquentius, ſermonibus ipſis opem petentes &c. *Idem.*

De diſtinctione inter extremas, communeſque pauperum neceſſitates.

Non deſunt qui ab eroganda eleemoſyna ſe diſpenſant captioſa diſtinctione uſi inter extremas, communeſque pauperum neceſſitates, & determinata voluntate pauperibus opem tunc ſolum ferendi, cum jam ad extremum illorum egeſtas evaſerit. Hæc certiſſima eſt conſummatæ avaritiæ nota, ideoque nolle ſuis ſeſe bonis exuere niſi ubi illa ingruat occaſio, quæ fere numquam occurrit, idem eſt, ac ea ſemper retinere velle, quæ nota eſt avaritiæ crudeliſſimæ, turpiſſimæque, qua terræ hujus bonis toto pectore ſe adhærere palam oſtendunt. Nullam vides adeo inſignem paupertatem; immo neque adeſſe tibi vis perſuadere; vides tantum vagos quoſdam, qui in xenodochiis includuntur, quia importuni ſolent accidere: reliqui omnes non videntur eas pati neceſſitates, quibus urgentur; ita ut velle tunc ſolum eleemoſynam erogare, ubi extrema neceſſitas adſit, idem ſit ac numquam erogare velle. *P. de la Rue in Manuſcripto Sermone de Eleemoſyna.*

Divites nihil ſibi ſuperfluum putant, quod pauperibus erogent.

Attamen nihil unquam ſuperfluum putatur, omnia neceſſaria videntur. Ita eſſe arbitramini Auditores; ſed ſexcenta pauperum millia derelicta, ac ægrotantium infinita multitudo omni ope deſtituta, palam vobis oſtenderent, quod ſuperfluum vobis eſt in rhedis illis magnificis, in ſervorum innumera caterva, in conviviis omni epularum genere inſtructis, in ditiſſimis parietum indumentis, ac periſtromatis: Tot miſeri fame laborantes oſtenderent, quod ſuum eſt, quod illis veſtra eripit ſævitia, atque injuſtitia. Nobis furamini, dicerent cum Sancto Bernardo, quod in adeo inutiles ſumptus impenditis: bona noſtra in alea conſumitis; cum illis omnia vobis ſolatiorum, delitiarumque genera comparatis, atque inordinatis affectibus veſtris obſequimini. Hæc eſt tot pauperum deſperationis cauſa. Terribilis comparatio! eam inſtruere ego audeam? at cur non audeam? Bona, lætitiæ, convivia, ludi, voluptates ex altera parte; miſeriæ, fames, nuditas, ſqualor ex altera. Et ſane quid Deo moleſti fuere hujuſmodi infelices, ut ad extrema hæc redigerentur; vobis omnium commodorum, omniumque vitæ hujus delitiarum genere perfruentibus? Hæc cauſa eſt, propter quam pauperes conqueruntur, & ſimul hoc ipſum avarorum divitum peccatum conſtituit. *Idem.*

Natura nos docet pauperum miſereri.

Si ſecreta cordis noſtri ſtudia conſulimus, inveniemus ſane ea naturaliter eſſe tenera, atque ad miſericordiam prona; proximi noſtri miſerias vix citra lacrymas poſſumus intueri, & quin in nobiſmetipſis experiamur naturales motus, quibus ad opem illis ferendam excitamur. Job miſericordiam ſecum natam eſſe ait, atque primos ejuſdem ſenſus ſe ab ipſa hauſiſſe natura; unde Chalcedonenſe Concilium pulcherrimum hoc depromit effatum; nos videlicet a Deo ad opera Miſericordiæ eſſe factos; hoc eſt, ipſum immiſiſſe nobis magnas ad hanc virtutem propenſiones, quas ſequi debemus: *Ad miſericordiæ opera a Deo facti ſumus. Biroat in decimoquarto Adventus Sermone.*

Eleemoſynis æternæ etiam pauperum ſaluti conſulere poſſumus.

Quot fideles damnantur, quia pauperes ſunt? quot occurrunt quotidie, quibus paupertas pericuioſa tentatio eſt, & qui magna committunt flagitia, ut habeant, unde ſuam egeſtatem ſolentur? Eleemoſyna hiſce in occaſionibus erogata hujuſmodi ſcelera prohiberet, tentationes haſce propulſaret, harum animarum jacturam præverteret, atque eſſet ſalutis earum cauſa. Si charitas tua fatali hoc momento exercetur, ſi opportune has eleemoſynas erogas, fratris tui damnationem prohibes; ſubſidium, quod illi præbes, erit ſalutis tuæ cauſa, & medium, quo utetur Deus eumdem ad gloriæ ſuæ acquiſitionem adducturus. *Idem.*

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Ipſa etiam ſacra vaſa venundari poſſunt ad pauperes in extremis neceſſitatibus ſublevandos.

Quorumdam Fidelium criminationibus Sanctum Ambroſium redarguentium, eo quod ſacra Eccleſiæ vaſa vendidiſſet, pecuniam conflaturus, qua captivos de Barbarorum manu redimeret, apud quos in periculo verſabantur, ne Fidei jacturam facerent; diſertiſſimus Præſul reſpondet, aſſertamque profanationem admirabilibus hiſce verbis confutat: *Vere illa ſunt pretioſa vaſa, quæ redimunt animas a morte; ille verus theſaurus Domini, qui operatur, quod Sanguis Domini. Tunc vas Dominici Sanguinis agnoſco, cum in utroque video redemptionem; ut calix ab hoſte redimat, quos ſanguis a peccato redemit.* Nunc, Sanctus Antiſtes ait, ſacra vaſa facta ſunt pretioſiora, quoniam liberant Chriſtianorum corpora a ſervitute, & Chriſtianorum animas a morte. Nunc vere nuncupari poſſunt Jeſu Chriſti theſauri; funguntur enim munere Sanguinis Jeſu Chriſti. Cum ea manibus tenent Sacerdotes, Sanguis Salvatoris, quem immolant, homines liberat a peccato; ſed cum ea vendidit Barbarorum expleturus aviditatem, eorum pretium Chriſtianos ab infidelium ſimul, dæmonumque tyrannide redemit. *Idem.*

Eleemoſyna quædam eſt animi grati nota erga beneficia, quibus a Deo fuimus cumulati.

Per eleemoſynam, Sanctus Auguſtinus inquit, erga Deum ipſum quamdam gratitudinis ſpeciem exercemus, quæ noſtra cum ipſo debita quodammodo diſſolvit. Artem invenimus ſolvendi, quod illi debemus, propriis ipſius bonis; & aliquid tribuendi ei, a quo omnia recepimus. Cum enim temporalia bona ſint divinæ effectus miſericordiæ; efficimus, ut ipſius beneficia ad ipſum uſque fontem reſiliant; pauperum quippe manus uſque in Dei ſinum transferunt hæc eadem bona, quæ inde effluxerunt. Sed illuc redeunt cum quodam præſtantiæ gradu longe majori, quam in origine ſua obtinerent; namque Jeſu Chriſti meritis commendantur; itaut bona mere temporalia, ac terrena fiant cœleſtia, ac pretium ipſius æternitatis. *Eſſais de Sermons. Pro ſexta poſt Pentecoſten Dominica.*

Eleemoſyna eſt de præcepto.

Exemplum, quod Dei Filius in miraculo multiplicati panis reliquit, docet viſcera miſericordiæ aperienda eſſe fratrum noſtrorum inopiam videntibus; ſolatium afferendum eſſe pauperibus, quos in medio noſtrum reliquit, ut ipſum in terris repræſentarent; charitatem noſtram pro viribus, & ultra vires etiam, eſſe extendendam; qua in re ut plurimum noſmetipſos fallimus. Credimus enim hunc eſſe charitatis actum, non præcepti neceſſitatem; eleemoſynam tamquam perfectionis conſilium, non tamquam inevitabile divinæ legis præceptum reſpicimus. Dummodo ab alienis abſtineamus, nobis noſtro abuti licere arbitramur; ad juſtæ acquiſitionis titulum confugimus, neque malum corrigimus uſum, in quem accepta a Deo bona convertimus. Hinc hodie errorem impugnandum aggredior: *Flechier Sermone de Eleemoſynæ præcepto.*

Cur divitibus Deus opes concedat.

Quandoquidem Deus opes largitur, inferendum eſt, ipſum ob finem aliquem eas elargiri, eaſque in uſum aliquem deſtinare; ideoque ob gravem aliquam cauſam eas divitibus large, effuſeque donare, pauperibus autem denegare. Quænam igitur hæc ratio eſt, quinam hic finis? Num ut hominum affectionibus, non autem humanis ſatisfiat neceſſitatibus? Num ut aliorum ſuperbiam, & avaritiam nutriat, aliorum vero humilitatem, atque patientiam fatiget? Num ut luxui veſtro, atque intemperantię prabeat nutrimenta, ſumptibus eorum, qui fame, ſiti, ac nuditate laborant? Num ut veſtra diſſipentur bona in inutiles ſumptus indiſcreta profuſione, non autem ut indigentibus pia diſpenſatione communicentur? Num ut oculi mortalium inani divitiarum fulgore, quæ illis fortaſſe ſurreptæ fuerunt, perſtringantur; atque ut oſtendatur quouſque vel prodigi effuſio, vel avari duritia procedat? Avertat Deus, cogitationes adeo abjectas, & ſua indignas Providentia. Hoc eſſet Deum cæcitatis arguere, vel præoccupationis in divitum gratiam; injuſtitiæ, vel crudelitatis contra pauperes, eique vitio vertere horum quidem calamitatem, illorum vero flagitia. Haud ita profecto, Deus divites faciens, eos efficere vult miſericordes; eos eligit tamquam miſericordiarum ſuarum inſtrumenta, atque rivulos, per quos exteriores gratiæ ſuæ in Eccleſiam debent effluere. *Idem.*

Objurgantur divites inhumani.

Quid opus eſt, ut in amplis, ſuperbiſque ædibus veſtris ſub aureis, cæruleiſque laquearibus horrentibus etiam anni tempeſtatibus ver perenne ſtudeatis efficere; cum interim egenus nequicquam miſerum quærat perfugium, ubi ab aeris inclementia ſe protegat? Quid opus eſt, ut abaci ſub aureorum, argenteorumque vaſorum pondere gemant, quæ minime proſunt, niſi ut veſtra quidem oſtentetur vanitas, aliena vero irritetur; cum interim teſtaceum deſit vaſculum pauperi, ubi ſuum excoquat olus? Quid opus eſt, ut iis accumbatis in cubilibus, quæ aris ipſis ornatiora ſunt, atque ditiora, ubi & voluptati, & ignaviæ litetis; cum interim pauper humi ſtratus vix inveniat, ubi aliquot noctis momentis laſſos reficiat artus, atque diurnis laboribus affecta membra ſoletur? Illos vobis, vos illis applicare; & niſi carcere poteſtis tot inutilibus, ſuperfluiſque rebus, quæ commentitiæ felicitati veſtræ velificantur; ſaltem illis ſuppeditate quidquid eorum inopiam lenire, ac paupertatem levare poteſt; alioquin Providentię leges infringitis, quæ vos elegerat, ut divitiarum ſuarum eſſetis diſpenſatores. *Idem Flechier.*

Pauperum miſereri debemus.

Qui hujus mundi opibus diffluit, atque claudit viſcera neceſſitatibus fratris ſui, in hoc Dei charitatem eſſe, quis credat? Quandonam miſerebitur, niſi eum flectit adſpectus pauperis, cui unus dumtaxat vitæ habitus ſupereſt; pupillorum, quibus hæreditatis reliquiæ auferuntur, miſerorum, quos amiſſio cauſæ, & iniquitas judicis ad deſperationem adegere; obærati, quem inhumanus ſuffocat creditor dicens, redde, quod debes; ægrorum, in quibus dolor ſimul, atque paupertas decertant, uter illis mortale vulnus ſit inflicturus? Quæ gravior occurrere poteſt proximo ferendę opis occaſio, quam fames, ſitis, infirmitas, & mortis non corporis tantum, ſed animæ quoque periculum? *Idem.*

Duritia in pauperes avaritiæ nota.

O vos, qui in luxu, & vanitate vitam traducitis, quam metuendum eſt, ne cor veſtrum ibi ſit, ubi theſaurus veſter! Quomodo bona veſtra pro Jeſu Chriſto relinqueretis, quandoquidem eorum particulam propter illius amorem erogare negatis? Quomodo paupertatem pati poſſetis, quandoquidem non audetis, vel modicum aliquid de affluentia veſtra decerpere? Oſtendite vos divitiarum amore nequaquam teneri, pauperibus large, effuſeque donando ea, quæ ſunt vobis ſuperflua. *Idem.*

Jeſu Chriſti maledictio in divites potiſſimum illata eſt propter eorum duritiam in pauperes.

Maxima divitiarum maledictio eſt ſuffocare omnes miſerationis ſenſus, & crudelia, & inhumana viſcera claudere, quod in Scripturis Deus maledicto perſequitur. Et patet ratio; cum enim in vita nihil incommodi locupletes patiantur, ad ea non advertunt animos, quæ aliis incommodum afferunt. Qui naſcens bonorum omnium a parentibus ſuis quęſitorum copiam eſt nactus; qui educatus eſt in molli, effœminataque vita, omnibus vitę deliciis affluenti, ſeptus mortalium corona id quærentium unum, ut illi ſolatium, atque voluptatem afferant; qui omnes diei horas jugis hilaritate traducit, & cui unum hoc incommodum eſt, voluptatum videlicet nauſea: faſtidiumque; ſcit ille, quid ſibi velit rebus omnibus carere, ac miſeros dies trahere? Hæc autem eſt cauſa, propter quam alienę egeſtatis, atque ęrumnę numquam miſeretur. *Idem.*

Eleemoſyna eſſe debet cum miſericordia conjuncta.

Non ſufficiunt Deo veſtræ eleemoſynæ; cor ipſum, ipſius cordis imum, quidquid vobis intimum, atque ſubſtantiæ veſtræ magis inſitum eſt, viſcera videlicet veſtra; *Viſcera miſericordiæ* petit. Pro inhumano corde, quod proximi veſtri miſeriis non afficitur, pro duris, barbariſque viſceribus, aſſumite cor tenerum, atque miſericors, & viſcera, quæ miſeratio, & humanitas molliant. *Induite vos viſcera miſericordiæ.* Verum ſi cum divites ſitis, ac proximi veſtri miſeriam noveritis, illi viſcera veſtra clauditis, quomodonam fieri poteſt, ut Dei charitas maneat in vobis? *Joly Sermone pro ſeptima poſt Pentecoſten Dominica; de Eleemoſynæ neceſſitate.*

Quomodo Salvator judicii die illos excipiet, qui pauperibus negaverint eleemoſynam.

Dei Filius noviſſimi Judicii die Prædeſtinatos quidem ſibi ad dexteram adſtare videns, reprobos vero ad ſiniſtram; in hos inflammatam ira, & furore oculorum convertens aciem, terribilia hæc proferet verba: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum* &c. Heu! quid fecimus Domine, ut ſevera adeo puniri pœna mereamur? Quid feciſtis barbari? *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare;* Sitivi, & potum non tribuiſtis mihi; procul a domo eram in terra ignota, neque recepiſtis me; nudus eram, neque male ſarta me corripuiſtis tunica; æger eram, atque in carceris ſqualore æſtu urebar, & gelu, neque vel ſemel me viſitaſtis. Diſcedite maledicti in ignem æternum. Fruſtum panis negaſtis mihi, ſcruta male conſarcinata, reliquias vanitatis veſtræ, luxus, aleæ, libidinumque veſtrarum; me cognoſcere noluiſtis; ego quoque viciſſim non cognoſco vos: non voluiſtis me domi veſtrę recipere, domus viciſſim mea vobis æternum erit obſtructa. *Idem.*

Cur judicii die ſermo tantum erit de datis, vel negatis eleemoſynis.

Jeſus Chriſtus, Sanctus Leo inquit, in celeberrima illa, noviſſimaque ſententia, quam hinc quidem in Prędeſtinatorum proferet gratiam, inde vero in reprobos ejaculabitur, loquitur ſolum de datis, negatiſve eleemoſynis, ut inde faciat unicum veluti fundamentum aliorum quidem felicitatis, aliorum vero æternę calamitatis; quorſum autem? Num quia hęc una juſtorum eſt virtus? Neque aliud iniquorum peccatum? Ita eſt; Sanctus Leo reſpondet. Erunt quidem alię in Prædeſtinatis virtutes, alia erunt in reprobis ſcelera: ſed in judicio Dei liberalitas illius, qui eleemoſynam contulerit, & illius duritia, qui eam erogare detrectaverit, ęſtimabitur tanti, ut charitas futura ſit veluti plenitudo virtutum omnium in altero; in altero vero crudelitas criminum omnium habenda ſit conſummatio. Non dicetur Abrahæ; mihi paruiſti præcipienti, quod factu difficillimum erat, ut videlicet filium tuum immolares: neque diviti nequam dicetur, provincias diripuiſti, ſexcentas injuſtitias, & concuſſiones exercuiſti, tot adulteria, ſcortationeſque patraſti; tot per ambitionem, ac ultionis capeſſendæ libidinem mala commiſiſti. Sed illi exprobabitur tot pauperum cędes, quos fame interire paſſus eſt: hoc unum ſcelus ſatis eſt, ut damnetur; & licet non alia patraſſet delicta, ob hoc unum eſſet ęternis ignibus adjudicandus. *Idem.*

Qui Eccleſiaſticis ornati ſunt beneficiis præ aliis eleemoſynam erogare tenentur.

Vos Eccleſiaſticis ditati beneficiis, qui peculiari, arctiorique obligatione eleemoſynam erogare tenemini; Vos, qui non ſolum quatenus divites, non ſolum quatenus Chriſtiani, immo non ſolum quatenus Sacerdotes, & Miniſtri Domini pauperibus opem ferre debetis; ſed qui opimis redditibus, qui ex fidelium oblationibus in veſtram rem cedunt, inſtituti fuiſtis, ut pauperum ſequeſtres, & œconomi eſſetis, noſtiſne, quo nomine vos D. Bernardus appellet? Homicidas, & fures vocat, ſi iis opibus abutimini, quæ vobis fuerunt concreditę, ſi, quin pauperibus ſubveniatis, divitias vel in arca per ſordidam avaritiam retinetis, vel immodicis, inſaniſque ſumptibus illas abſumitis. *Idem Joly.*

Reſpondetur dicentibus, nihil ſupereſſe ſibi quod pauperibus erogent.

Si ſalvari vis, ne ea quæ tuæ conditioni ſuperſunt, vel juxta libidinem tuam, vel ſecundum mundi conſuetudinem impendas. Superfluum non vocas aurum, quod alea abſumit? Superfluum non vocas ingentem illam auri, argentique vim in arca conditam ultra eos ſumptus, quos vulgo facere conſueviſti, cum interim pauperes intereant fame? Nihil tibi ſuperfluum eſſe dicis? Vel vera non dicis, vel falſum Jeſus Chriſtus aſſeruit, cum hanc legem irrogavit: *Quod ſupereſt date eleemoſynam.* *Idem.*

Luc. 11.

Reſpondetur dicentibus, ſe pauperum miſerias non noſſe.

At enim pauperum miſeriam non noſtis. Quomodo illam cognoſcere vultis? Pauperes domum veſtram ingrediuntur? Illuc quidem ingrediuntur libidinum veſtrarum ſocii, & fortaſſe etiam devotæ impuritati veſtræ victimæ: at aditus pauperibus erit obſtructus. Quoties in cœtibus noſtris adeſſe diſtributioni eleemoſynarum, quas ibi nonnumquam pii homines erogant, viſi fuiſtis? Viſi profecto ſæpe fuiſtis choreis adeſſe, ludis, ſpectaculis: ſed cœtibus charitatis numquam interfuiſtis. Abite inhumani, ſaxea corda; quam in cœleſti regno partem ſperare poteſtis, quod in eleemoſynarum mercedem tribui dumtaxat videtur? *Idem.*

Eleemoſyna de ſuo, non de alieno eroganda.

Noſtis, divites, quid faciatis, cum poſtquam per fas, & nefas ingentes undique divitias congeſſeritis, Deo munus offertis, aliquam argenti vim pauperibus erogantes? Integram fortaſſe civitatem diſtribuiſtis, vel fortaſſe etiam Provinciam concuſſionibus veſtris; vos tot mortalium ſumptibus obſcuram, ignotamque domum unde extitiſtis, opibus cumulaſtis; omnes qui ſciunt, quinam eratis, & eſtis, vos horrent, & execrantur; litibus, fœnoribuſque plurimis familiis interitum attuliſtis; plurima præter jus, & fas exegiſtis; atque illis eſtis patrocinati, qui præſidio veſtro, & auctoritate freti, fanda, infandaque patrarunt omnia, & pauperum ſubſtantiam exhauſere. Attamen aliquot conſcientiæ ſtimulos placare vultis; vel adhuc aliquam juſtitiæ auram captare; aliquot eleemoſynas ad noſocomia mittitis, egenis aliquot fertis opem? at noſtiſne, quid faciatis? Oves jugulaſtis, ut Biblicis verbis utar, coram paſtore illarum; manus veſtras fœdaſtis ſanguine pauperum, qui ſunt Filii Dei; & hæc ſunt ovium ſpolia, hæc filiorum, quam illi offertis, ſubſtantia. Oporteret non eſſe Deum, qui eſt, ut æqui, bonique munus veſtrum conſuleret. *Idem alio in Sermone de qualitatibus Eleemoſynæ.*

Ejuſdem argumenti.

Cum ad Scribas, & Phariſæos retulit Judas argenteos, quos acceperat, ut Dominum ſuum illis traderet; illum cum ignominia dimiſerunt, dixeruntque nefas eſſe ſanguinis pretium in Templi theſaurum immittere. Heu! fierine poſſet, Domine, ut æquo accipere animo ſanguinis pretium, quod hi fures, atque injuſti raptores offerunt tibi? Fruſtra igitur per Prophetam tuum dixiſſes; Frange panem tuum eſurienti, atque pauperibus diſtribue illum. Hic non eſt panis, qui proprie, ac legitime ad hos divites ſpectet; panis eſt hujus familiæ, panis hujus viduæ, & pupilli. Diſtribuant illi, ſi lubet, panem ſuum: ſibi in perſona pauperum panem illum largiantur, in quem jus habent ſuum: at non ea efferantur audacia, ut tibi offerre velint eorum ſpolia, quos ipſi nudarunt. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Neſcio utrum in Scripturis inveniri poſſit dolor ſimilis illi, quo Patriarcha Jacob affectus fuit, cum filii attulerunt ei tunicam dilecti Joſeph cruore manantem: *Vide an tunica filii tui ſit.* Tunicam habemus; vide utrum ſit filii tui; illam noſti? Patriarcha mœrore confectus veſtem illam accepit, cumque cognoviſſet illam perinde ac dilectiſſimum pignus ſuum ſæviſſimarum belluarum rictu diſceptum fuiſſet intuitus, exclamavit; *fera peſſima devoravit Joſeph.* Injuſte alienorum bonorum uſurpator! hoc tu ipſe facis, cum Deo eleemoſynam tribuis earum rerum, quæ ad ſe minime pertinent. Licet fœnora, ac rapinæ ſuæ ſint illi ſemper præſentia, videris tamen, cum illi offers pretium ſanguinis pauperum, & cruentam pupilli tunicam oſtendis illi; videris inquam, ob ejus oculos iterum objicere tempus, locum, diem, horam, atque momentum, quo illos bonis ſpoliaſti. Atque tunc ſi in gloriæ ſuæ ſtatu doloris poſſet eſſe compos, tu cor ejus transfigeres, & exclamaret; *Fera peſſima devoravit Joſeph.* Tu judex injuſte, tu fœnerator, tu raptor filium meum devoraſti, quid potes ab extremis meæ juſtitiæ rigoribus expectare? *Idem.*

Geneſ. 37.

Ibidem.

Eleemoſyna large effuſeque donanda, ut redimantur peccata.

Si ad noviſſimum uſque quadrantem ſcire poſſes, quid erogare debes ad peccata tua redimenda; ſi poſſes dicere, pro tot mendaciis, atque perjuriis tot efficere debeo eleemoſynas; pro tot noxiis voluptatibus, pro tot inhoneſte, & contumelioſe dictis, pro tot fœdis cogitationibus, quibus aſſenſus ſum, pro tot malis exemplis, & ſcandalis, quæ præbui, pro tot immodicis inſaniſque ſumptibus in aleis, ſupellectili, indumentis, conviviis, pro tanto temporis ſpatio, quod perdidi, mollem, ignavamque vitam traducens; pro his omnibus tantam eleemoſynæ vim debeo tribuere, quam recipiet Deus in ſatisfactionem pœnæ meis ſceleribus debitæ; Hæc omnia ſi noſſes, dicerem equidem, ſedulam eleemoſynarum rationem ſupputa, ne charitas tua debitam earum ſummam excedat. Verum cum hoc agnoſci minime poſſit, neque liceat ſcrutari quam a nobis ſatisfactionem divina juſtitia depoſcat; ne ceſſes large, effuſe, magnificeque donare; quidquid enim erogabis, ſemper modicum erit, ubi cum peccatis redimendis comparetur. *Idem.*

Liberales eſſe oportet erga Deum in perſona pauperum.

Ne parci ſitis cum Deo, qui omnia large, atque effluenter vobis tribuit; ne ſitis adeo cauti in erogandis eleemoſynis, neque in bonorum veſtrorum diſtributione ſordidi. Parum quidem prudentiæ, charitatis vero multum habete. Cum quod veſtræ conditioni ſuperfluum eſt, ſit erogandum; ne quæratis, quanam in re hoc ſuperfluum conſiſtat; quid vobis pro neceſſario habendum ſit? Neceſſarium hoc quantum fieri poteſt minuite: Hæc autem adeo neceſſaria proportio non ſolum admittenda eſt in bonorum veſtrorum conſideratione; verum etiam in pauperum egeſtate, & inopia ſpectanda eſt. Nonnumquam communis eſt, & uſitata; ſed nonnumquam extrema eſt; quo in caſu non id ſolum tribuendum eſt, quod ſuperfluum, ſed aliquid etiam ex eo, quod neceſſarium. Urget neceſſitas: charitas veſtra excitetur; cumque hæc neceſſitas magis augetur, magis etiam miſericordia veſtra augeatur. *Idem.*

Si pauperes aliquando egeſtatem ſuam majorem, quam vere ſit, ſimulant, non

Sed etiamſi pauperes non ea premerentur inopia, quam ſimulant, licet dolis, ac verſutiis uterentur eleemoſynas capturi, nonne videtis, Sanctus Chryſoſtomus inquit, eorum fraudem apertiſſimum eſſe injuſtitiæ veſtræ argumentum? *Illorum ſimulatio injuſtitia veſtra eſt.* Vos, barbari, eos ſimu-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

ideo ceſſandum.

ſimulate cogitis. Cum ipſorum paupertas ſine hoc ſqualoris, ulcerumque comitatu ob oculos veſtros verſabatur, integri elabebantur dies, quin fruſtum panis referrent; eorum percrebreſcente miſeria, ac ime, pallore, ejulatu, membrorum ſimulata tabe cordis veſtri duritiam flectere ſtuduerunt. Non aliud inhumanitatis veſtræ inditium quæro præter hunc ſtatum, in quem ſeſe redigere conantur, ut aliquam extorqueant eleemoſynam. *Idem.*

De eleemoſynis a morientibus legatis.

Hæc pia legata, ſeraſque eleemoſynas improbare non auſim; illas probo, & laudo, & toto pectore ſuadeo; ſed undenam plerumque hæc legata, atque eleemoſynæ proficiſcuntur, niſi ex fonte quodam duritiæ, & avaritiæ? Mulier illa pauperibus relinquit ea, quę ſecum auferre non poteſt; ſi enim in alteram vitam omnia ſecum bona ſua poſſet transferre, næ illa quidem in hoc minime relinqueret. Vir ille teſtamento tantum æris pauperibus legat, tantum noſocomiis, tantum xenodochiis; ſed hoc acceptum referendum eſt gravi, quo laborat morbo; ſi enim bona frueretur valetudine, nihil ab eo magis acciperent pauperes, quam cum fruebatur, acceperint. Legat, & quæ velit, nolit, ſibi ſunt relinquenda. *Idem.*

Pauperum miſereri debemus.

Verum eſt, ſi naturæ vocibus præberemus aures, illæ ſufficerent, ut cor noſtrum omnibus tangeretur malis, quæ fratres noſtri patiuntur, manuſque aperiremus bonorum noſtrorum partem illis erogaturi. Quamcumque ſpecioſam prætexere valeamus cauſam ad duritiam noſtram tegendam, vox hæc de cordibus noſtris clamat indeſinenter; quod ſi in horum pauperum loco verſaremur, vellemus nobis opem afferri, & de divitum inhumanitate nos in hac relinquentium egeſtate conquereremur. Sed quemadmodum hominum plerique facti ſunt his naturæ vocibus ſurdi, Deus, ut efficaciter divites pauperum miſeratione afficerentur, eiſque eleemoſynis ſolatium afferrent, huic voci vocem veteris, novique Teſtamenti, ac ſui vim adjecit exempli. *De la Font. Tomo 3. Propoſit. pro Dominicis anni. Domin. 6. poſt Pent.*

Qui pauperi extrema laboranti neceſſitate non ſubvenit, illum occidit.

Reus es, Sanctus Baſilius inquit, mortis eorum, qui propter defectum earum rerum, quæ ſunt ad victum neceſſaria, & quæ tamen illis facili negotio ſuppeditare potuiſſes, moriuntur: *Paſce morientem: ſi non paviſti, occidiſti.* Ita eſt, Pater hic ait, eleemoſynam erogare detrectans & pauperi injuſtitiam, & Deo infers injuriam, atque tibi noxæ vertetur tot hominum mors, quot miſeris opem, ac ſolatium ferre potuiſſes. Qui id fecerit, non charitatem ſolum, verum etiam juſtitiam lædit; Eccleſiaſticus enim eleemoſynam debitum vocat; non perfectionis conſilium, ſed religionis præceptum: *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum.* Eccli. c. 4. Numquid mirum tibi videtur, quod Cœli janua ſis occludatur, qui rapto vivunt, judicibus nequam, qui ſententiarum ſuarum iniquitate integras familias avertunt, qui urbes, atque Provincias diripiunt, ut luxum, atque faſtum nutriant? Attamen hoc ipſum judicium eos damnat inhumanos divites, qui pauperibus eleemoſynam renuunt. Bona eripere habentibus, vel non habentibus partem ſuorum negare, ex Patrum ſententia, eſt unum, & idem. *Idem.*

Exprobratio a Jeſu Chriſto noviſſimo Judicii die inhumanis divitibus facienda.

Dei Filius inhumanis divitibus obſtructurus os, dicet illis; *Quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Ubi ſunt pauperes, inquiet ille diviti nequam, quibus largitus eſt ingentium bonorum particulam, quæ ego tibi large, effuſeque donavi, ut eſſent eleemoſynarum quidem tuarum inſtrumenta, ſalutis vero adminicula? Ubi familias rerum omnium inopia laborantes, quibus ſubveniſti, vel eleemoſynis tuis prohibuiſti, ne interirent? Ubi puellæ bonis omnibus carentes, quas ab infamia vindicaſti, eiſdem victum ſuppeditans? Ubi vincti, quos de carceribus liberaſti, & captivi, quos de Infidelium ſervitute eripuiſti, ubi qua minis, qua tormentis vexati ſæpe adacti fuere, ut fidem abdicarent? Hæc ex te quærit Sanctus Ambroſius: *Commiſſas tibi opes, cum quibus egentibus diviſiſti? quibus neceſſitatem patientibus ſubveniſti? quos de carceribus, de vinculis, de gladio profuſa pecunia liberaſti?* Nihil erit, quod hiſce quæſtionibus reddant? neque aliud præſtolari potuerunt, niſi irrevocabilem damnationis ſententiam. *Idem.*

Contra Providentiæ ordinem fertur, qui pauperibus negat eleemoſynam.

Dives inhumane, qui oculos avertis ne pauperis videas egeſtatem, ſcias, illud, quod negas egenti ſolatium, graviſſimum eſſe debitum, quod tibi injecit Providentia; ita enim Spiritus Sanctus vocat eleemoſynam: *Redde pauperi debitum tuum.* Hæc non eſt gratificatio, neque officioſa liberalitas, ſed in rigore juſtitiæ ſolutio eſt. Non ex bonis veſtris ea hauritis, quæ pauperibus erogatis, ſed ex divinæ Providentiæ largitate; manus veſtræ non aliud ſunt, quam rivuli eleemoſynarum, quarum fons eſt Dei Providentia; & cum quin ſalubres aquas in ſiccos, arenteſque egeſtatis agros ſinatis effluere, illas in uſum veſtrum convertitis, vel a naturali curſu illas deflectitis, ut iniquitatis veſtrę fructus irrigetis, voſque nefariis deliciis immergatis; tunc palam contra Providentiam delinquitis. *Eſſais de Sermons. Sermone pro ſexta poſt Pentecoſten Dominica.*

Eleemoſynam largiri nolle injuſtitia eſt, & furti ſpecies.

Subtractio, quæ pauperi fit, particulæ bonorum, quam Creator illi per manus veſtras vult diſtribuere, vera eſt injuſtitia; & eleemoſyna, quæ huic eſt oppoſita in Scripturis, juſtitia appellatur: *Videte ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Adeſt quoddam acquiſitionis furtum, quo pauperes fiunt, cum aliquis ſibi uſurpat ea, quæ ad ipſos pertinent; adeſt etiam furtum retentionis, quo ea, quæ pauperibus ſunt neceſſaria, illis negantur. Pauper hic, cui panis, indumentum, ſubſidiumque deeſt, nonne quemadmodum & tu, opus eſt manuum Dei? Nonne Sanguinis ejuſdem pretio redemptus? Numquid erga illum Deus Creatoris officia adimplere non debet? In te ille requieſcit, ac tu es Providentiæ ejuſdem vicarius. Perfungi debet & munere, quod credidit tibi, ſubveniendi, alendi, veſtiendi fratrem tuum neceſſitate laborantem, alioquin ſeveriſſime expetiturus eſt ex te rationem bonorum, quæ contulit tibi in hunc uſum eroganda. Hoc depoſitum eſt, quod in manibus tuis collocavit, ut in pauperum manus tranſmitteretur; hoc tributum eſt divitum bonis impoſitum ſupremo bonorum omnium Domino erogandum. *Ibidem.*

Elogia, quibus Spiritus Sanctus miſericordiæ opera commendat.

Elogia, quibus Spiritus Sanctus reliquas ſimul virtutes omnes celebravit, exæquare non poſſunt laudes illas, quibus ſingulariter opera Miſericordię proſequitur. Deus horum nobis neceſſitatem, præſtantiam, meritum, virtutem repræſentat plurimarum imaginum multitudine, quæ eleemoſynam ſupra cætera exercitia pietatis extollunt. Modo explicite hanc præcipit: *Miſericordiam, & miſerationem faciat unuſquiſque fratri ſuo;* Zach. 7. Modo beatos vocat, qui illam exercent: *Beati miſericordes: quoniam miſericordiam conſequentur:* Matth. 5. Modo ita eleemoſynis peccata, ut ignes aqua; docet extingui: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum:* Eccli. 5. Et alibi eam nobis exhibet velut aliorum operum ſupplementum, & efficacem ad mala opera reparanda ſatisfactionem: *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc. 11.

Ex vobis non quæritur, divites, ut corpora veſtra jejuniis, ſaltem cum gravi ſeveritate, maceretis; ac voſmet in cinere, & cilicio proſternatis; ſed hoc unum quæritur, ut manus veſtras ad egenum, & pauperem extendatis. Hoc pœnitentiæ genus non exigit a natura magnos illos conatus, quibus imbecilles, ac delicati pares non ſunt. Habentibus opes nihil æquæ facile eſt, ac earum partem non habentibus impartire. Opus eſt, ut larga divitiarum perfruitioni, ſuppellectilium magnificentiæ, conviviorum deliciis ac indumentorum luxui inhærent; atque mali remedium, in ejuſdem origine inveniant. *Idem.*

Divitum ope voluit Deus pauperibus ſubvenire.

Deus in hac conditionum inæqualitate, quam ipſe in mundo conſtituit, & quę partem efficit pulchritudinis, quam in mundo admiramur, conſulere debet pauperum neceſſitatibus, alioquin hi jure conqueri, & divinam increpare poſſent Providentiam, ſi nullum ipſis reliquum feciſſet ſolatium, atque perfugium. Ad hoc autem quid præſtat? Mandat divitibus, ut illis proſpiciant; quod ut pręſtare poſſint, illos affluenter opibus cumulat, & quemadmodum in natura quędam magna creavit in copia, ut indigentibus univerſorum partibus ſuppleret; ita in politico regimine aliis quidem liberalius effundit bona pro aliorum ſolatio. Divitibus bona contulit, & opes, non ut in arca aſſerventur, atque in ſolum ipſorum commodum impendantur, ſed ut in pauperum uſus effundantur. *Biroat Sermone pro quarta feria poſt tertiam Quadrageſimæ Dtminicam.*

Eleemoſyna animabus æque, ac corporibus ſubvenire poſſumus.

Niſi charitas extincta eſt in cordibus veſtris, miſeremini horum corporum, quæ languent ulceribus depaſta, nuda, ac ſibimet opera ferendo non paria; pręſertim vero miſeremini animarum propter paupertatem ſępe intereuntium, & gravia quælibet pa-

patrantium ſcelera, ut ſuæ conſulant egeſtati, Eleemoſyna una illos ab interitu vindicare poteſt, atque ab æterna calamitate tueri. Quam pręclarum uſum divitiarum veſtrarum poteſtis efficere, quandoquidem cum Jeſu Chriſto animarum prædeſtinationi poſſunt cooperari? Deus hic homo non pepercit Sanguini ſuo, ut eorum ſalutem operaretur; vos autem bonorum veſtrorum partem negare audebitis eorum ęternam damnationem prohibituri? Sin autem nequaquam vos miſeret animarum, quæ in ſummo ſalutis periculo verſantur, eo quod illis non ſubvenitur; ſaltem miſereat veſtræ, quæ in eodem diſcrimine invenitur. Unica illi ſubveniendi ratio hæc eſt, ut aliquando alienæ opem ferre ſtudeatis; ita enim vos excipiemini, quemadmodum exceperitis alios; atque in æternitate nulla pro vobis futura eſt miſericordia; niſi fueritis in fratres veſtros miſericordes. *In Moralibus ſermonibus. Sermone de eleemoſyna.*

De pauperibus verecundis.

Si pauperum miſeriam prævertentes quæreremus dumtaxat eorum parcere verecundiæ, quæ eorum plurimos ab ope petenda deterret; Fidelis generoſus, qui gratiæ motus ſequeretur, eos huic pudori nollet objicere. Addere confuſionem repulſæ confuſioni petendi, inhumanitas eſt, & ſævitia; Pauperis huic pudori non parcere, at pudorem repulſæ non inferre, licita eſt ſpecies miſericordiæ: ſed pro virili ipſam quoque petendi verecundiam tollere, hic eſt chriſtianæ generoſitatis effectus, qui tunc ſolum accidit, cum egenorum inopiam prævenimus. *Fromentieres Tomo 12. Quadrageſ. Serm. de Eleemoſyna.*

Ejuſdem argumenti.

Non deſunt pauperes, quos vos ipſi digneſcere poteſtis, abſque eo quod eos pudeat vobis miſerrimum aperire ſtatum, ad quem redacti fuere. Accedant alii, ſi lubet, ac petant; ſed hos prævenite, ne petant. Date panem emendicanti, ſed potius date pauperi emendicare erubeſcenti; ille petit, ejuſque vox querula ſibi aliquid eſſe tribuendum prædicat; hic autem ſilet; & muta ipſius verecundia vos vigilare jubet, ut non ſolum eas pręveniatis petitiones, quas proferre poſſet, verum eas etiam, quas proferre minime auderet. Hæc eſt S. Auguſtini ſententia. *Idem.*

Quomodo eleemoſyna prohibeat, ne pauperes peccent.

Una tantum opportune erogata ſufficit eleemoſyna, ad prohibendam modo hominis alicujus rapinam, modo virginis proſtitutionem; hic calamitoſi pauperis fraudem, ibi miſeri alicujus perjurium. Quot murmurationes, atque blaſphemias eleemoſyna per occaſionem tradita avertit! quot impetus, ultiones, furores, fortaſſe cædes etiam velox, & prudens compeſcuit eleemoſyna! Vos autem, Fideles, qui hanc facitis eleemoſynam, quam inde gloriam percipitis? *Idem.*

Jeſus Chriſtus in pauperum perſona petit eleemoſynam.

Audite Jeſum Chriſtum, Salvianus ait, audite illum de aliorum fame, aliorum ſiti, horum captivitate, illorum nuditate conquerentem. Omnia univerſali huic Pauperi deſunt; & ſi quilibet pauper in ſe, ac propter ſe indiget; Jeſus Chriſtus in omnibus indiget indigentibus. Quæ cum ita ſint, o terræ divites, poteſtiſne aliquem videre pauperem, quin illi opem afferatis? *Idem.*

Solatium, quod in morte percipient qui dum viverent eleemoſynas erogarunt.

Quid ſperares te impetraturum a Principe, cui vel in carcere detruſo, vel in noſocomiis laboranti, vel populi rebellis ſeditione depulſo opem tuliſſes? Quid autem non ſperes a Jeſu Chriſto, poſtquam millies ex inopia, ac ſqualore illum eduxeris? Licet enim in gloria ſua pati non poſſit, patitur tamen in pauperibus omnibus, qui ejuſdem ſunt membra; dici poteſt, tę illi in pauperum perſona præſidium, veſtes, victumque præbere. Ne verearis, futurum ut tibi non referat aliquando gratias, dicatque: *Venite benedicti &c.* Quandoquidem in malorum meorum partem acceſſiſtis, in bonorum quoque meorum partem accedite, &c. *De la Volpilliere. Sermone de Bona Morte.*

Magis lucrantur divites eleemoſynam erogantes, quam pauperes eam recipientes.

Numquid cum ad vos pauperes mittit Deus, putatis, hunc illis ſine ope veſtra ſubvenire non poſſe? Non facit pauperes, niſi ut divitibus eleemoſynæ erogandæ tribuat occaſionem. Nemo ſuperbiat pauperi eleemoſynam tribuens, Sanctus hic Doctor ait; vos magis hac, quam facitis, eleemoſyna indigetis, quam pauperes ipſi, qui illam recipiunt; quod illis tribuitur fructum affert longe majorem iis, qui tribuuntur. Hoc ſatis patet ex celeberrimo eo miraculo, quod Elias in Viduæ cujuſdam gratiam eſt operatus; & non patebit ex ipſius Jeſu Chriſti verbis, ipſam eleemoſynam in pauperum perſona accipientis! Verum conſideremus, quid a Domino recipiamus? Anima noſtra fortaſſe erat interitura, niſi Deus Miſericordia ſua nobis non tribuiſſet exercendæ Charitatis occaſionem, ut reliquum vitæ ſpatium nobis ſervaret, quemadmodum vidua illa fame erat occaſura, niſi ſe ſe illi obtuliſſet Elias. Ita illi, ad quos pauperem aliquem mittit Deus, agnoſcant, quid ſibi præſtetur, cum boni operis faciendi ſibi tribuatur occaſio. *In vitis Veterum Prophetarum. In Vita Eliæ.*

Exemplum S. Job.

Sanctus vir Job noverat nihil magis Dei benedictiones mereri, quam erga pauperes miſericordiam; & vix credi poteſt, quantopere virtutem hanc excoluerit. Hanc omnium primam re exercuiſſe fatetur, eamdemque videri ait ſecum de utero matris ſuæ egreſſam; & prout ipſe proficiebat ætate, eam quoque viſam percrebuiſſe. Non deſunt, quos egenorum miſeret, quin illis ferant opem; nec deſunt, qui illis opem ferunt, quin ſe eorum miſeratione tangi teſtentur. Sanctus hic Vir hæc duo ſimul conjungebat; regales lacrymas pauperrimorum fletibus permiſcebat, neque ut divites aſſolent, faſtidiebat calamitoſos homines, & ex ultima plebe. Plorabam, ait ille, cum mœrentibus, & anima mea miſerebatur pauperis. Non præſeferebat ille eum languorem, ac tædium, quo divites eleemoſynam erogantes majorem afferunt dolorem, quam ſolatium . . . Ex juſtis redditibus ſuis illos alebat; nihil aliis extorquebat, quod mox crudeli charitate pauperibus largiretur; alios ditiores efficiens, ſe unum faciebat pauperiorem; neque metuere poterant, qui bonis cumulabantur, ea, quæ ſibi tradita fuerant, aliis fortaſſe æque pauperibus adempta fuiſſe. *In Vita Job edita ab Auctore, qui veterum Prophetarum, Patriarcharumque vitas conſcripſit.*

De Inhumanitate erga pauperes.

Durities, quam tot mortales erga proximum ſuum teſtantur, ex cordis ipſorum corruptione procedit. A natura abhorret hominem videre gravi laborantem inopia, quin illius malis afficiamur; ſed peccator, qui in vitiis occalluit, fit in ſe, ac in alios crudelis. Deus ſæpe nobis commendat charitatem in pauperes, & nobiſcum agit quomodo nos cum fratribus egimus, ac noſmet fati noſtri arbitros facit. Si nos alienæ calamitatis miſerti fuerimus, & ipſe noſtrę miſerebitur infirmitatis. *Abbas de Bellegarde in Salamonis Proverbia.*

Dives eleemoſynas non faciens, non habet charitatem.

Lex Charitatis, qua proximum tamquam noſmet amare jubemur, neceſſaria illatione pręcipit quoque, ut eleemoſynam erogemus. Hæc autem Lex palam infringitur, ubi dives proximum ſuum videt, non dico equidem extrema oppreſſum neceſſitate, ſed magnis afflictatum incommodis, quin eumdem recreet bonis, quę ſunt ſibi ſuperflua. Hęc eſt S. Joannis argumentatio: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo?* 1. Epiſt. c. 3. Qui habet ſubſtantiam (animadvertire non dici ſubſtantiam plurimam, ſed ſubſtantiam ſimpliciter) & qui fratri indigenti opem non tulerit, putaſne, hunc eam habere charitatem erga proximum ſuum, quam efflagitat Deus? Ne dixeris quęſo, Sanctus Auguſtinus inquit in hunc locum, cur bona mea alieno tribuam, qui ad me non pertinet, quem minime novi? Numquid opes fructus laborum meorum in ignoti hominis ſolatium impendam? *Forte dices, quid ad me pertinet? ego daturus ſum pecuniam, ne ille moleſtiam patiatur?* Si cor tuum nequam ita reſpondet ſuadenti, ut pauperum opituleris egeſtati; ajo, æterni Patris charitatem in te non eſſe, te non eſſe Dei Filium, ac fruſtra te Chriſtiani dignitatem jactare. *P. Texier. Sermone pro feria quarta poſt alteram Quadrageſimæ Dominicam.*

Cauſa propter quam dives nequam damnatus fuit, hæc eſt, quod non fecit eleemoſynas.

Opes per ſe nequaquam in cauſa fuere, ut dives Epulo damnaretur; opes enim a Deo ſunt, & divinæ bonitatis effectus eſt nobilibus viris illas conferre ad explendam conditionis eorum majeſtatem. Non fuerunt damnationis ejus cauſa bona illa, & ingentia prædia, quæ poſſidebat; neque ea ſervorum caterva, qua ſe ſtipatum videbat, neque dapes illæ exquiſitæ, quibus quotidie veſcebatur, illum in inferni flammas dederunt præcipitem. Quid ergo? Lazarus, egregie reſpondet Sanctus Chryſoſtomus, Lazarus ad ejus fores eſuriens; hoc illius eſt peccatum, hæc ipſius cauſa calamitatis. Dives ille cauſa eſt mortis Lazaro propter inhumanitatem; ſed pauper Lazarus diviti cauſa eſt reprobationis: *Non enim quia dives fuerat, puniebatur; ſed quia miſericordiam non exhibuit. Biroat. Sermone pro quarta feria poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam.*

Divites non aliam habent fa-

Nulla mihi incedit admiratio videnti Moyſem ex populo Iſrael petere opes illius, in Tabernaculi ædificium,

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

lutis ſpem, quam eleemoſynam.

ficium, illaſque eo libentius ab omnibus conferri, quod ex illis conflatus fuerit vitulus aureus, ut idololatriæ ſcelus admitteretur. Cupiebat Moyſes illum ſalvum facere eadem via, qua ad damnationem cucurrerat: polluerat ille opes ſuas in pravum uſum convertens; nunc illæ Deo ſunt devovendæ, ut prior defectus corrigatur. Heu! O Fideles, Deus petit a vobis opes, quas affectuum veſtrorum idolis ſacraſtis, & vult ſceleris veſtri inſtrumenta fieri veſtræ Pœnitentiæ ſubſidia. Sin autem divites medicina hac non utuntur; ex vobis quæro, utrum alia quædam appareat futura? & ſi his non utuntur propriis ſtatus ſui adminiculis, quomodo ſe ſperant ſalutem conſecuturos? Non aliam profecto ingredientur viam, eam enim relinquunt, quæ adeo facilis ipſis eſt, & quam præ manibus habent. Jejunia, auſteritates, prolixæ preces, & quidquid inſtituit Deus ad peccata quidem eorum expianda, ſuam vero juſtitiam leniendam, ipſis ferenda non ſunt; illis ergo pereundum eſt, quandoquidem unum illud, quod reliquum eſt remedium, ſit illis inutile. *Idem*.

Eccleſiaſtici peculiari jure eleemoſynam erogare tenentur.

Fideles Eccleſiaſtici plurima ſibi negare poſſunt; non habent illi familiæ impedimentum: laici quidem plurimas afferunt excuſationes. Eccleſiaſtici vero ullaſne poſſunt proferre? Numquam ordinis, & characteris ſui dignitati conſulunt melius, quam cum aliquid ſibi negant, pauperibus opem laturi. Illi ſunt pauperum patres, atque patroni; & non poſtremum eorum officium eſt divites cogere, ut egenis ſubveniant; quod ipſum cum fructu facere nequeunt, ſi liqueat, eorum charitatem parcam eſſe, & ipſorum in pauperes duritia ſatis innoteſcat. Eccleſiaſtico, qui manus apertas habet, ut illis opituletur, facile ſemper aures adhibentur: & pauperes pro illo vota nuncupantes cœli benedictionem omnibus ejuſdem conatibus impetrant. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica. Sermone de Proximi Charitate.*

Eleemoſynæ congruæ eſſe debent opibus, quæ poſſidentur.

Falleris, ſi toto charitatis te defunctum præcepto putas leves aliquot eleemoſynas erogans. Docet Scriptura, dona bonis eſſe metienda; plura habentibus, plura eſſe eroganda, & menſuram divitiarum eamdem & eleemoſynarum eſſe oportere. Da igitur eo affluentius, quo majora poſſides bona; id enim tantum poſſides, quod pauperibus tribuis, hoc enim pro te, ac pro tua ſalute impenditur. Alioquin ipſis pauperibus es infelicior; illi enim in hac vita, quæ fluxa eſt, atque velox, patiuntur; tu vero in altera, quæ erit æterna, patieris. Jeſus Chriſtus numquam acrius invectus eſt, quam in divites inhumanos. Voluit damnationem eorum eſſe articulum fidei; eorumque ſententiam in Evangelio apertiſſimis verbis inſcribi; charitatis enim viſcera claudentes fratribus ſuis, ut inquit Sanctus Baſilius, ſibi Divinæ Miſericordiæ viſcera claudunt; & adeo crudeliter agentes in Jeſum Chriſtum in pauperum, ægrotantium, in carcere detentorum perſona, actionibus ſuis palam teſtantur, ſe male ipſum inimicum, ultoremque habere, quam amicum, atque patronum, cum venerit univerſum humanum genus judicaturus. Pauperes undequaque divitum ſubſidium implorant; & ii, quos verecundia tegit, & iis quos neceſſitas producit: xenodochia jam referta ſunt; pauperes, qui ſunt in agris deſerti, & illi, quibus in urbe male ſubvenitur; & nihilominus eleemoſynæ non infrequentes ſolum, verum etiam modicæ ſunt, &c. *Flechier in Adhortatione quarta.*

Pauperibus rapimus quidquid in ſuperfluos ſumptus impendimus.

Liceret utinam mihi valvis omnibus cellarum, ubi divites argentea vaſa, omnemque pretioſam cuſtodiunt ſupellectilem; vel arcæ, ubi claudunt, clauſoſque inutiliter retinent theſauros ſuos, hæc Sancti Auguſtini ſcribere verba: *Aliena retinet, qui iſta retinet*. Illi fortaſſe experrecti e ſopore, in quo ſunt alte demerſi contremiſcentes pauperum vocem audirent clamantium, ut Sanctus Bernardus ait, contra luxum veſtium, opulentiam conviviorum, inſanas libidinum profuſiones; ipſos pauperum ſumptibus prodigos eſſe, eorum pecuniam in alea inſumere, ac illis eripere cum crudelitate, quidquid ad ridiculam vanitatem explendam impendunt. *Noſtrum eſt, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitis, quod inaniter expenditis. Texier. Sermone de Eleemoſyna in Quadrageſima.*

Jeſus Chriſtus eſt in pauperibus quibus

Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem! Regius inquit Propheta. Non vocat ille beatos, qui ſuper pauperibus opem ferunt, ſed qui ſuper pauperem intelligunt; Quidnam intelligendum in paupere? Hic ſublimis, profundaque latet Theologia: myſterium quod caro, & ſanguis aſſequi minime poteſt: *Magnum ſane, ac difficile intelligere quod ipſe, qui Cœlum tangit, ſit nudus in paupere; quod in eſuriente eſuriat ſatietas rerum; quod in ſitiente ſitiat fons fontium.* Proh ſuperi! quam difficile eſt intelligere, eum, qui ſolem lumine induit, nudum præ foribus tuis jacere; illum, qui omnia ſua replet immenſitate hoſpitio in viatore peregre profecto indigere? Theologiam hanc Sancti dumtaxat intelligunt. *Idem*.

erogatur eleemoſyna.

Charitas perſpicax eſt, ut eorum detegat egeſtatem, quos emendicare pudet.

Non deeſt quædam ſpecies neceſſitatis, quę quia latet, non ideo minus miſericordia digna eſt. Talia ſunt eorum pauperum incommoda, quos mendicare pudet; hi enim duplici affligantur malorum genere, quorum alterum ad ipſorum ſubſtantiam, alterum vero ad honorem illorum pertinet; primum paupertas eſt; alterum pudor, quo prohibentur malum fateri ſuum, & malo remedium poſcere. At nullæ ſunt miſeriæ, quę veri Fidelis charitatem fallere poſſunt; hæc oculos habet, ut eas deprehendat, ubicumque latuerint, & manus habet, ut illis opituletur. Uno ictu & paupertati proſpicit, & verecundiæ; paupertati quidem, eam eleemoſynis recreans, verecundiæ vero clam tribuens opem, itaut illos non pudeat. Prævertit vocem eorum, qui non audent petere, atque ut illis ſubveniat eum inſtituit ordinem, in quo petendi pudori, & labori parcat. *In quadam funebri Oratione Meldenſis Epiſcopi.*

De eleemoſynis, cum mors imminet, legatis.

Cum inſtat mors, tunc eleemoſynas erogare contendis. Numquid mercatura exercetur, poſtquam ceſſavit commercium? Numquid poſtquam debellatum eſt, virtus alicujus poteſt eniteſcere? Numquid probari ea pietatis opera poſſunt, quæ tunc fiunt, cum mors neque meritis, neque bonis operibus locum relinquit? Egregia ſane pietas! bona opera non exercere, nihilque dignum laude præſtare, quam ultimis tabulis pauperibus quaſdam legare eleemoſynas! Quid hoc ſibi vult, niſi te bonis tuis omnino frui velle, donec vitam vivis; atque tunc Evangelii præceptum adimplere, cum es moriturus? *P. de la Colombiere in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Pauperes ſunt quædam Sacramenti ſpecies.

Ut vere ad eleemoſynam erogandam movearis, aperiendi ſunt oculi Fidei, ac reſpiciendi pauperes tamquam Religionis noſtræ Sacramenta, magnas profecto res ſub exilibus ſpeciebus tegentia. Cum Altaris Sacramentum intueor, non judico ex exteriori ſpecie de eodem; ſenſuum judicio non acquieſco; mentem meam ſubmitto, captivo rationem meam, Fidei facem accendo, & per ejus velamina introſpiciens, illud colo, & coram adorabili hac victima genua flecto. Ita quoque pauperem reſpicio; humanos ſenſus abdico: oculi mei me decipitis; ſenſus mei me fallitis, humana ratio nimis cæca es, ut de hac feras judicium! Non intueor hæc ſcruta, ſciſſaſque veſtes, hæc vulnera, pallentes facies, umbras, viventia cadavera; Magorum ſequor exemplum, Deum meum pannoſis coopertum lodicibus, & in ſtabulo jacentem adoro. *Pater Novet. Quinta Meditationum Parte.*

Quod impendimus, ut affectibus noſtris ſatisfaciamus, eleemoſynæ præcepto adimplendo ſufficeret.

Divina Providentia egenorum victui proſpexit, divitibus imperans, ut illis eſcam ſuppeditarent. Divitibus credidit Deus ſubſtantiam, qua pauperes ſunt alendi; ſed in eo difficultas verſatur, ut liquido pateat, unde ſubſtantia hæc ſit deſumenda. Deſumendane igitur eſt ex iis quæ ſunt ſuperflua, an quæ neceſſaria divitibus? Videntur hæc verba nimia Theologorum ſubtilitate excogitata fuiſſe, ut inhumanis divitibus latus excuſationis campus aperiret. Non enim hic loquor de vulgaribus pauperum neceſſitatibus, nihil diſputo de extraordinariis quibuſdam caſibus, qui fere numquam contingunt. Neceſſarii ergo, ſuperfluique inania nomina relinquo; ac ſatis eſſe puto divites admonere, teneri illos pauperibus erogare, quod ſuis cupiditatibus elargiuntur. Ex eorum cupiditatibus fundum illum deſumere volo, qui pauperes alere debet; & certus ſum, ſi quilibet ea conferre, quę cupiditatibus ſuis alendis inſerviunt, tantam inde bonorum copiam cumulatum iri, quanta pauperum omnium neceſſitatibus auferendis ſufficeret. Si ambitioſus ſeponeret, quidquid impendit, ut in mortalium oculis fulgeat; ſi libidinoſus conferret quidquid in voluptatibus explendis inſumit; ſi mundanæ mulieres tribuerent, quidquid eorum proprium amorem palpat; quinam pro pauperibus theſaurus congereretur? Neque mundi ſectatores objiciant; ſibi deſſe, unde eleemoſynas erogent; ſibi nihil eſſe ſuperfluum: relinquamus hoc verbum, & videamus, utrum aliquid impendatis, ut ſecretam aliquam cupiditatem foveatis, & expleatis. Re enim vera puto neminem eſſe divitem, quamtumvis modicas habeant divitias, qui quotannis alicui affectui ſatisfacturus minime impendat, quod alicui pauperi alendo ſufficeret. *Ex ſermone Manuſcripto ſciti, neſcio cujus, Concionatoris.*

Quouſque proceſſerit quorumdam Sanctorum Charitas circa eleemoſynas.

Neceſſitates aliorum quantum poſſumus, juvamus; interdum plus quam poſſumus; ea quæ fieri a nobis poſſunt, facientes, & aliquando etiam ultra ea, quæ poſſunt fieri. Non ſatis eſt patrimonium ſuum, vel partem reddituum, quam Eccleſia eorum deſtinat victui, pauperibus erogare: *Quantum poſſumus*; ad hæc quidquid ex redditibus ſupereſt ad explendum ſuæ charitatis exceſſum expendunt: *Pluſquam poſſumus*. Faciunt plura, quam poſſunt, ſaltem plura, quam facere teneantur: *Pluſquam poſſumus*; ſed ulterius procedunt; tribuunt quidquid in manibus habent: *Quantum poſſumus*. At nondum hoc ſatis eſt. Divitum charitates ſollicitant in omni Diœceſi ſua, ut eorum opera id præſtent, quod ſoli facere nequeunt: *Pluſquam poſſumus*. Quid plura? Non ſatis eſt illis partem eorum tribuere, quæ poſſident, ſed ſemetipſos exhauriunt, & omnia tribuunt, quæ habent; itaut jejunent, ut ſumptibus parcant erogandis in pauperes; non dant ea ſolum quæ ſunt ſibi ſuperflua, ſed ſibi negant etiam neceſſaria: *Pluſquam poſſumus. Biroat Sermone de Sancto Nicolao.*

Ejuſdem argumenti.

Sincera charitate complectebatur hos pauperes, quos infra mortales omnes dejicit fortuna, qui in pulvere vivunt, qui omnium hominum pedibus obteruntur, qui in ſudore vultus ſui veſcuntur, quaſi primi parentis damnatio in illos tantummodo cecidiſſet. Nonne mirum erat, tantum Principem intueri, qui eorum egeſtatibus ferebat opem, qui eorum ſolabatur inopiam, qui lacrymas abſtergebat, eoſque fratres vocabat, & tamquam optimos amicos excipiebat? Oportebat ſane oculos fidei ejus eſſe admodum perſpicaces, cum ſub miſerorum ſcrutis Jeſu Chriſti gloriam videret. Dicamus ergo magnum præmium illius eſſe futurum, & quod præſtitit horum calamitoſorum hominum minimo habitum iri, tamquam factum adorabili Pręceptoris noſtri perſonæ, quandoquidem huic ipſe ita ſe facturum pollicetur. *Sermo Manuſcriptus.*

Sub prætextu dignitatis noſtræ tuendæ ſæpe ab eleemoſyna facienda nobiſcum diſpenſamus.

Nihil in terris periculoſius eſt, quam cum duæ virtutes ſimul contendunt, quarum altera amori proprio velificatur, altera vero ſtudiis noſtris opponitur; credibile quippe eſt in hujuſmodi occaſionibus amorem proprium illi ſuffragaturum, quæ ſibi favet. Seipſum diſpenſat ab eſſentialibus obligationibus, quæ illam impugnant, licet maximæ ſint neceſſitatis; ac ſibi perſuadet, citra nefas injuſtam hanc prælationem effici poſſe. Hoc ſummis terræ hujus Principibus accidit, immo & iis, qui primos in Eccleſia gradus obtinent. Cum de eleemoſyna eroganda ſermo eſt; duæ tunc ſimul confligunt virtutes; petit charitas, ut pauperibus elargiantur; juſtitia velle videtur, ut ſibimet, dignitati, atque caracteri ſuo conſulant: petit charitas, ut bona ſua tribuant; juſtitia putat illa ſuo ſtatui deberi, atque tamquam neceſſaria poſſe retineri. Quid interim amor proprius? In aſſertæ hujus juſtitiæ partes concedit quæ dignitatem ſibi ſervandam eſſe prætexens, negat eleemoſynam pauperibus efflagitantibus illam. Prętextus nequam! illuſio pernicioſa, quæ ſæpe tot operatur injuſtitias. *P. Novet in diem feſtum S. Caroli.*

Dei Filius in pauperum perſona conſiderandus.

Hic, o Fideles, fidem veſtram expoſco. Cavete, ne ſenſus veſtros conſulatis, atque in exteriori cortice immoremini. Quælibet ſpecies vobis pauperem efficiet contemptibilem: ſed illum oculis fidei reſpicite; quam intus nobilitatem, ac dignitatem invenietis! Cum illo facite, quod cum reali Jeſu Chriſti præſentia in Euchariſtia: Species panis, & vini, quæ ſenſus avertunt, fidem non morantur; opacum hoc velum divinitatem abſcondens penetras, & eam ibi nanciſceris, eamque veneraris. Ita quoque & cum pauperibus agere debes. Mundi Salvator patitur in illis; ille vos monet, ego quoque, illius nomine, hoc prædico; aliquidne ulterius requiritur, ut eorum calamitatibus doleatis? *P. Cheminais. Sermone de Charitate erga eos, qui in Carcere detinentur.*

Per eleemoſynam cum Deo facile in gratiam redimus, atque convertimur.

Si ulla via eſt, quæ ad Deum poſſit adducere, eſt eleemoſyna, ſive obtinenda ſit in futurum converſionis gratia, ſive pro præteritis ſceleribus ſit

ſatisfaciendum. Ita eſt, Fideles; ad Deum propius accedimus, cum apud eumdem amicos comparare ſtudemus; inſignes converſiones inde frequenter initium duxere. Domine; dicere poteſtis, ſcio nihil in meis operibus eſſe, quod in oculis tuis acceptum me reddere valeat, permitte, ut ad te aditum inquiram. Non amas peccatores ſimiles mei, ſed pauperes amas; neque propter hunc alius mihi reliquus locus eſt, ut veniam ad te. Jampridem te amare deſii; at illorum hactenus miſericordia ducor. Heu! Si fratrum meorum miſertus fuero, tu fortaſſe mei miſereberis. *Idem*.

Mala tempora prætexentes ab eleemoſyna nosmet diſpenſamus.

At enim mala ſunt tempora; quilibet ſuis urgetur calamitatibus, nihil ſupereſt quod in eleemoſynas effundatur. Heu! ſi pro vobis mala ſunt tempora, quid igitur erunt pro illis, quibus nulli ſunt fundi, redditus nulli? Si divites communibus torquentur miſeriis, quanta erit pauperum calamitas? Et ſi principium eleemoſynæ proximorum innititur neceſſitati, quod extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum; quo magis ex altera parte neceſſitas creſcit, eo major ex altera fit obligatio. Inanem prætextum, quo divites duritiam ſuam tegere ſatagunt! Si accidit, ut aliquid obtinere contendamus; nihil prætermittimus, nullis parcimus ſumptibus; neque tunc tempora mala eſſe intelligimus. *Idem*.

Cur depoſitum tuum humi defodere mavis? cur non apud me potius depoſcis pecunias tuas? Deus inquit tibi per os tot Sanctorum, qui hujus rei præclarum reliquerunt exemplum. Numquid univerſorum Dominus tibi aptior non videtur terra, ut bona tua ſervet? Terra non poteſt ea omnia tibi reddere, quæ credidiſti illi; aliquid ſæpiſſime perditur, atque corrumpitur: ſed nihil tibi Deus aufert eorum, quæ ipſi committis, infinita te proſequitur benevolentia; ſi illi pecuniam tuam in fœnus dare cupis, ille paratus eſt, ut eam fœnori accipiat. Si ſerere volueris, agrum ille tibi pollicetur, ex quo centuplum feras; & ſi volueris ædificare, illud tibi ſubſternet ſolum, ubi in æternitatem ædifices. Cum hominibus mercari vis? Cum Deo potius mercare. *Sermo Manuſcriptus.*

Malus uſus, in quem bonorum ſuorum ſuperfluum locupletes impendunt.

Quoniam certo certius eſt, nobis in eleemoſynas impendendum eſſe, quod ex bonis nobis ſupereſt, ſine me tibi ſeorſim dicere: *Redde rationem villicationis tuæ:* quid feciſti de opibus, quibus te Deus cumulavit, quanam in re ſuperfluum impendiſti? Non enim negare potes, multa tibi ſuperfluxiſſe, ubi intueamur menſæ tuę delitias, ædium magnificentiam, indumentorum pretium, ſupellectilium luxum, & faſtum tui comitatus; quid igitur de ea parte feciſti, quæ in pauperum ſolatium erat impendenda? Video equidem magnos ſumptus, quos effudiſti, ut voluptatibus tuis indulgeres, ut cupiditatibus tuis ſatisfaceres, ut ambitionem, ac vanitatem expleres: at quæſo, quinam te coegit, ut ſtatum tuum altius, quam tua poſceret conditio, proveheres? Ut enim libere loquar, nihil in rationariis tuis pauperibus erogatum video, in te nihil præter duritiam, & erga Jeſu Chriſti membra inhumanitatem intueor. Heu quam fremere debent divites pro adeo modicis eleemoſynis, pro hac cordis duritia, & abuſu tot divitiarum, quæ ſuperfluebant? divites inquam, quibus per os Sancti Bernardi dicere poſſunt egeni: Divites inhumani! jugibus rapinis nobis ſuffuramini, quidquid graviſſimis, ac inutilibus ſumptibus in luxum veſtrum impenditis! *Joannin in Manuſcripto Sermone.*

Eleemoſynæ præceptum divitibus utile.

Eleemoſyna inevitabilis eſt obligationis præceptum, quod quin terrorem divitibus afferat, illis potius ſolatium afferre deberet; non enim ferme alia ſupereſt via, quæ illos in Cœlum adducere valeat, quam via miſericordiæ. Viæ omnes pauperibus patent, patientia, humilitas, mundi contemptus, paupertas, occaſio quolibet tempore, loco, omnibuſque in rebus patiendi: ſed omnes Cœli viæ ſunt occluſæ divitibus, qui in honoribus ſunt, voluptatibus, dignitatibus, bonorum earumque rerum omnium, quæ in Evangelio reprobantur, affluentia: unica miſericordiæ janua patet illis, per quam in Cœlum ingredi poſſint. Non debent ergo præcepti eleemoſynæ neceſſitatem eludere fictis excuſationibus, inanibuſque prætextibus, quemadmodum facere conſueverunt. *Idem*.

Falſus prætextus quod videlicet pauperum mi-

Diligentius ad examen vocemus aſſertas inhumanorum divitum excuſationes. Primum autem dicitis, vobis exploratum, compertumque non fuiſſe quinam pauperes eſſent, & ſumma laborarent ino-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.